



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 08161343 6



2A
Tale

PALAEPHATI^{US}
DE
INCREDIBILIBVS

GRAECÆ

SEXTVM EDIDIT

AD FIDEM COD. MS. MOSQVENSIS ALIO
RVMQVE ET LIBRI ALDINI

DENVO RECENSUIT EMENDAUIT
EXPLICAVIT

INDICEMQVE VERBORVM GRAECORVM
COPIOSISSIMVM

ADIEGIT

IOH. FRIDER. FISCHERVS

ACCESSERE

PROLVSIONES QVATVOR

IN PALAEPHATI FABVLAS

VNA CVM

ORATIONIBVS DVABVS

LIPSIÆ

SVMTV CASPARI FRITSCHII

A. G. MDCCCCLXXXVIII

ἄπερ ἰδὼν⁹ ὁ Ἡρακλῆς βοσκόμενα παρὰ τῇ θαλάττῃ, περιελάσας¹⁰ ἐνέθετο εἰς τὴν ναῦν, καὶ τὸν πομμένα αὐτῶν, ὀνόματι Δράκοντα, εἰσήγαγεν¹¹ εἰς οἶκον, ἐκέτι ζῶντος¹² τῷ Ἑσπέρῃ, ἀλλὰ τῶν παίδων αὐτοῦ. ἔλεγον ἔν¹³ οἱ ἄνθρωποι, Ἐθεασάμεθα χρυσαῖ μῆλα, ἃ Ἡρακλῆς ἤγαγεν ἐξ Ἑσπερίδων¹⁴, τὸν φύλακα ἀποκτείνας Δράκοντα¹⁵. Καὶ ἔνθεν ὁ μῦθος προσανεπλάσθη¹⁶.

F 2

'ΚΕΦ. Κ'

Brunerus non incommode legi posse putabat καλεῖται καὶ τὰ πρόβατα. bene.

9. Apostolius: ἰδὼν δέ, omisso Pron. ἄπερ. non male. Cod. Mosqu. ἰδὼν Ἡρακλῆς, omisso Articulo. bene. Lectio παρὰ τῇ θαλάττῃ debetur Codd. Oxonn. Cant. Arund. Tol. et Mosqu. Nam Aldus quidem, et post eum caeteri editores Palaephathi, edidere περὶ τὴν θαλάτταν quae est ipsa librorum Apostolii et Eudociae lectio, neque contemnenda illa prorsus. De permutatione harum Praepositionum quaedam dicta sunt in Animaduerff. ad Gram. Vuelleri. p. 381. f.

10. Apostolius: περιεργάσας. inepte. nam etiam infra fab. 25, 3. sic dicuntur περιελαυνομένα βῆς, et ib. 5. Ἡρακλῆς ταύτας περιήλασεν. Sed pro εἰς τὴν ναῦν in Cod. Rauii extabat εἰς ναῦν, omisso Articulo.

11. Cod. Mosqu. ἤγαγεν.

12. Cod. Mosqu. ζῶς Ἑσπέρῃ.

13. Cod. Mosqu. ἔλεγον δὴ.

14. Cod. Mosqu. ἃ ἤγαγεν ἐξ Ἑσπερίδων Ἡρακλῆς.

15. Apostolius: τὸν Δράκοντα ab cuius libris absunt etiam verba καὶ ἔνθεν ὁ μ. προσαν. Sed ab Cod. Rau. aberat tantum verbum προσανεπλάσθη. per se non male. Vid. infra fab. 24, 5. Cod. Mosqu. ἐντεῦθεν ὁ μῦθος προσαν., omissa Coni. καί.

16. Varro R. R. 2, 1. 6. *De antiquissimis illustrissimis quisque pastor erat, ut ostendit Graeca et Latina lingua, et veteres poëtae, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλεις, alios πολυβέτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt: — ut in Colchide Aeeta, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae: ut in Lybia ad Hesperidas; unde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras et oves, [quas] Hercules ex Africa in Graeciam exportauit. ea enim sua voce Graeci appellantur μῆλα.*

Κ Ε Φ. Κ'

ΠΕΡΙ ΚΟΤΤΟΥ ΚΑΙ ΒΡΙΑΡΕΩ ΚΑΙ ΓΥΓΟΥ *

¹ **Φ**ασίν ἔν περὶ τῶν ¹, ὡς ἔσχον ἑκατὸν χεῖρας, ἄν-
² δρες ὄντες. Πῶς δὲ ἐκ εὐηθες τὸ τοιοῦτον ²; Τὸ
 δὲ

* Codd. Oxonn. Cant. Gal. περὶ Κόττε καὶ Βριάρεω καὶ Γύγῃ. Cod. Rau. περὶ Κόττε καὶ Βριάρεω καὶ Γύγῃ τῶν ἑκατογχεῖρων. recte, puto. Certe, lectione περὶ Κόττε καὶ Βριάρεως, quae est in libris editis omnibus, et apud Eudoc. p. 258., seruata, verba καὶ Γύγῃς f. 2. delenda et omittenda erunt cum Apostolio, apud quem haec Fabula Paroem. II, 57. legitur, et cum Eudocia, quae in Violarium suum eandem Fabulam transtulit p. 258.: quae tamen p. 91., quo loco descripsit de Briareo verba schol. Apol. Rhod. ad I, 1166., verba ista adiecit. At quum auctoritati tot bonorum librorum repugnare recte non liceat; quum scriptores veteres fere omnes tres Centimanos numerent, non duo, vt Nonnus Συναγ. ἰσορ. 2, 6. p. 163. Eton.: addimus hoc quoque in exemplo verba καὶ Γύγῃ in Indice Capitis, ita tamen, vt pro Βριάρεως, etiam legum Grammaticarum iussu, rescripserimus Βριάρεω. nam f. 2. vocatur Βριάρεως, non Βριαρῦς. In Cod. Mosqu. hoc Caput est Caput vndeui-

cesimum, atque incipit sic, Περὶ κόττε καὶ βριάρεως. ὡς ἑκατὸν ἔσχον χεῖρας. Sed Arsenius in Violario Fabulae ipsi praemisit verba haec, Κόττε ἰσχυρότατος καὶ βριάρεω. quae scilicet ex Opere patris sui sumfit. Caeterum de Centimanis, Coeli et Terrae filiis, eorumque fabula, legi, praeter multos alios, possunt Hesiodus Θεογ. 149. ff. 617. f. 671. ff. 714. 734. 817.: Apollodorus bibl. I. p. 3. Fab.: Nonnus Συναγ. ἰσορ. 2, 6. p. 163. Eton.: Eudocia p. 91. et p. 144.

1. Apostol. et Arsen. Φασὶ περὶ τῶν. Cod. Rau. περὶ τῶν Φασίν, ὡς ἑκατὸν ἔσχον. quae lectio Brunero quidem magis placebat. Cod. Cant. Φασίν περὶ Κόττε καὶ Βριάρ. Cod. Gal. Βρυάρ.

2. Τὸ τοιοῦτον deest in Cod. Mosqu.: sed ap. Eudoc. p. 258. pro verbis Φασίν ἔν — τὸ τοιοῦτον; leguntur verba haec, Κόττος καὶ Βριάρεως, ἄνδρες ὄντες, μυθεύοντα, ὡς ἑκατὸν χεῖρας ἔσχον, οἱ μετὰ τῶν Θεῶν ἐπολέμησαν πρὸς τὰς Γίγαντας. leg. Τιτάνας.

δὲ ἀληθὲς ἔτως ἔχει³. Τῇ πόλει⁴ ἣν ὀνομαζομένην ἑκατονταχειρίαν, ἐν ἣ ᾤκειν⁵. ἣν δὲ πόλιν⁶ τῆς νῦν καλεσμένης Ὀρεσιᾶδος. Ἐλεγον⁷ οἱ ἀνδρες, Κόττος,

F 3

καί

3. Ald. Bas. τὸ δ' ἀλ. ἔτως. simpliciter, omisso verbo ἔχει. vt Tol. Gal. Pat. Dresig. τὸ δὲ ἀληθὲς ἔτως. Iam etfi nec in Cod. Mosqu. aliter legitur: tamen nuper iam post ἔτως addidimus ἔχει, auctoritate, cum librorum veterum: Eudoc. enim Apostol. Arsen. habent τὸ δ' ἀληθὲς ἔτως ἔχει, et Codd. Oxonn. Cant. τὸ δὲ ἀληθὲς ἔτως ἔχει. tum vsus loquendi Palaephati. vid. 2, 4. 6, 2. 28, 2. Nam fab. 46, 2. legitur quidem ἡ ἀλήθεια ἔτω in libris editis: sed etiam ibi in Codd. bonis additum extat verbum ἔχει.

4. Cod. Arund. Tol. τῶν τῇ πόλει. et in libris Apostolii editis, est, ὄνομα ἣν ἑκατονταχειρία, et in Cod. Mosqu. ὄνομα ἣν ἑκατονταχειρία, vt in Violar. MS. Arsenii, ὄνομα ἣν ἑκατονταχειρία, et ap. Eudoc. p. 258. τῇ πόλει ἣν ὀνομαζομένην ἑκατονταχειρίαν. nam, et ἑκατόγχειρες dicitur, et ἑκατοντάχειρες. quae de re paulo post quaeretur. Horum igitur Codicum auctoritate adducti nuper iam post nomen ὄνομα adiecimus verbum ἣν, quod caeteri libri editi non habent.

5. Cod. Mosqu. ᾤκειν ἔτοι. Eudoc. p. 91. τῇ πόλει, ἐν ἣ

ᾤκειν Κόττος καὶ Βριάρεως, ὄνομα ἑκατονταχειρία.

6. Cod. Cant. ἣν δὲ ἡ πόλις ἣ νῦν καλεσμένη Ὀρεσιᾶς. Apostol. et Arsen. ἣν δὲ πόλιν τῆς καλεσμένης Ὀρεσιᾶδος. Codd. Oxonn. Arund. Tol. ἣν δὲ Ἀχαρνίας [Cod. Tol. τῆς Ἀχαρνίας] τῆς νῦν Ὀρεσιᾶδος καλεσμένης. Τεκμαιρομαι δὲ, ὅτι μετὰ τῶν Ὀλυμπίων ἐμαχίσαντο [Tol. ἐμαχίσαντο] τὴν πρὸς Τιτᾶνας μάχην. ταῦτα γὰρ [Tol. δὲ] τὰ χωρία ὁμοῦ εἰσι τῇ Ὀλύμπῳ. Quae quidem verba Tollo videbantur ab ipso Auctore libelli profecta esse, neque Grammaticorum ingeniis deberi, ita, vt legeretur, ἣν δὲ πόλιν τῆς Ἀχαρνίας, τῆς νῦν καλεσμένης Ὀρεσιᾶδος. vere, opinor. Certe ea, quae sequuntur, satis indicant, locum, vti nunc legitur in libris editis, plenum integrumque non esse. Etiam in Cod. Mosqu. addita ante verbum ἔλεγον extant verba, sed mendose scripta, haec, ἣν δὲ τῆς ἀχρονίας τῆς νῦν Ὀρεσιᾶδος καλεσμένης. τεκμαιρομένη δὲ, ὅτι μετὰ τῶν Ὀλυμπίων ἐμαχίσαντο τὴν πρὸς Τιτᾶνας μάχην. ταῦτα δὲ τὰ χωρία ὁμοῦ εἰσιν τῶν Ὀλυμπίων.

7. Cod. Mosqu. ἔλεγον δέ. Et ap. Eudoc. p. 91. pro εἰ ἀνδρες.


καὶ Βριάρεως, καὶ Γύγης⁸, οἱ ἑκατοντάχειρες, βοη-
θήσαντες τοῖς θεοῖς, αὐτοὶ⁹ ἐξήλασαν τὰς Τιτᾶνας¹⁰
ἐκ τῆς Ὀλύμπου.

ΚΕΦ. ΚΑ'

ἄνθρωποι est οἱ πολῖται, et
ante Κόττος extat ὅτι.

8. Verba καὶ Γύγης absunt
ab Eudoc. Violar. p. 258. et
ab Apostolii, Arseniique, li-
bris. Galeus malebat scribere
Γύγης, quod homo ita apud
Apollodorum diceretur. At
apud hunc quoque [lib. 1. init.]
pro Γύγην restituit Γύγην Hein-
sius ad Ouid. Amorr. 2, 1. 12.
Et variant profecto, dissen-
tuntque, libri veteres in scri-
ptura huius vocabuli adeo, ut
nec magnus ille Criticus, et
acutus in primis, Ric. Bent-
leius, certi quidquam consti-
tuere et definire ea de re au-
sus sit. Vid. notae eius ad
Horat. 2. od. 17, 14. add. in-
terpp. Hygini p. 3. Stauer.:
Heinius ad Apollod. p. 8.
To. 1.: Delrius ad Sen. Herc.
Oet. 167.: Meursius Regn.
Attic. 1, 3. Sed pro Καῖδον
ap. Apollodorum d. l. certis-
simum est reponi oportere
Κόττον, ut ap. schol. Aeschyli
ad Prometh. vinct. p. 26.
Steph. Nam Καῖδς erat de
Titanibus. In libris Athena-
gorae Apol. 15. vocatur Κότ-
τος, et ap. Gregor. Naz. Ste-
lieut. 1. p. 71. Eton. Κότος,
ut ap. Nonnum Συναγ. ἰσop.
2, 6. p. 163. Eton. nam ibid.
1, 76. p. 153. mendose scri-
ptum est Κώτος. Conf. Au-

dendorp. ad Lucan. 4, 596.
Pro ἑκατοντάχειρες Tollius
e scholiasta Aeschyli ad Pro-
meth. vinct. d. l. scribi male-
bat ἑκατόγχειρες, ut scri-
ptum est in Cod. Mosqu. Pa-
laeophati. bene. Leges certe
analogiae dici iubent ἑκα-
τόγχειρες neque aliter di-
cuntur ab Athenagora Apol.
15. f. et Apollodoro bibl. 1.
p. 3. 7.: et ap. Lucian. diall.
deor. p. 228. To. 1. Graeu. est
Βριάρεων ἑκατόγχειρα ὄντα.
At quum etiam in libris Plut-
archi in de frat. amor. p. 478.
E To. 2. legatur ἑκατοντά-
χειρες ut ap. Iustin. M. Apol.
1, 33. ὑπὸ τῶ ἑκατοντάχει-
ρος ἐκείνου, et ap. Hesychium
Βριάρεων ἄνθρωπον ἑκατον-
τάχειρα quum Typhon in
scholiis Aeschyli ad Prometh.
331. dicatur ἑκατοντακέφα-
λος ut ab ipso Aeschylo d. l.
ἑκατοντακάρηνος quum con-
suetudinis et vsus loquendi
neglegentiae saepe maior sit
potestas, quam subtilitatis
Grammaticorum praecepto-
rum: scripturam vtriusque
vocabuli, ἑκατοντάχειρες et
ἑκατονταχειρία, hoc loco
ferri debere arbitror; prae-
sertim quum haec libri veteres
optimi repugnent. vid. Mat-
thaeus in Chrestom. Gr. ad
h. l. Sic ap. Polyb. 1, 73. est
ἡ ἑκα-



Κ Ε Θ. Κ Α'

ΠΕΡΙ ΣΚΥΛΛΗΣ *

Λέγουσι¹ περὶ Σκύλλης, ὡς ἦν ἐν Τυρρήνιαι² θηρίον τι, ἡ γυνὴ μὲν μέχρι τῆς ὀμφαλῆς, κυνῶν δὲ ἐντεῦθεν αὐτῇ

F 4

αὐτῇ

ἡ ἑκατοντάπυλος· ap. Iustin. M. Apol. 1. 8. χιλιοσταετής, et ap. Plat. Polit. 10. p. 615. A To. 3. Steph. ἑκατονταετής. v. Salmasius ad Inscrip. duas vett. p. 20. f. Caeterum per τὰς θεάς intelleguntur Iupiter, Pluto, Neptunus. v. Apollod. 1. p. 5. et p. 7. Fab.

9. Αὐτοὶ abest ab Apostol. et Arsen. libris.

10. Eudoc. p. 91. et p. 258. τὰς Γίγαντας. male.

* Codd. Oxonn. Cant. Gal. Arund. Σκύλλας. De Scylla ipsa v. Homerus Odyf. μ', 85. ff.: Virgilius Aen. 3, 424. ff.: Ovidius Metam. 14, 59. ff.: Heraclitus fab. 2.: Hyginus fab. 151. et 199.: Fulgentius Mythol. 1, 12.: Themistius orat. 3. p. 90. Petau.: schol. Apollon. Rhod. ad 4, 825. et 828.: schol. min. Hom. ad Odyf. μ', 85.: Eustathius ad Odyf. μ' p. 1714. Rom.: Anonymus de Ulyssis erroribus fab. 8.: Tzetzes ad Lycophron. p. 13. Steph.: Eudocia p. 376. ff.: quae suam de Scylla narrationem confarcinavit e verbis Eustathii, Nonni, schol. Apollonii Rhodii, aliorumque. Nonni enim

Συναγ. Isop. 1, 52. p. 144. f. Eton. verba, a Palaephato verbis parum discrepantia, haec sunt, Μυθεύεται, ὅτι ἐν τῇ Τυρρήνικῃ πελάγει θηρίον ἦν, ὃ ἦν γυνὴ μὲν περικαλλὴς μέχρι τῆς ὀμφαλῆς, ἐνθεν δὲ καὶ ἐνθεν κυνῶν καφαλαὶ προσπεφύκασιν αὐτῇ ἕξ· τὸ δὲ ἄλλο αὐτῆς σῶμα ὀφιδέες· quae ipsa verba habet Eudoc. p. 376.: sed post πελάγει addit, περὶ τὸ Πήγιον καταντηκρὺ Σικελίας, et pro ὀφιδέες legit rectius ὀφιοειδές. Conf. Fabricius ad Sext. Empir. p. 386. Caeterum hoc Caput in Cod. Mosqu. est Caput vicissimum, et explicatio Fabulae extat ap. Eudoc. p. 378.

1. Cod. Tol. λέγεται περὶ Σκύλλ. Cod. Mosqu. περὶ σκύλλης λέγεται. Bas. λέγουσι ἐπὶ Σκύλλης· quae scriptura nata est e nota, qua expressa est Praeposit. περὶ in Ald., non intellecta. In utroque exemplo legitur etiam θηρίον τι.

2. Sic Tollius rescripsit pro ἐν τυρρήνιαι, quod est in Ald. Bas., atque veterem scribendi rationem redolet. Etiam in libris Apostolii [18, 52.] est Τυρρήνιαι. Sed Cod. Cant.

αὐτῇ³ προσπεφύκασι κεφαλαί· τὸ δὲ ἄλλο⁴ σῶμα,
ὄφρα. Τοιαύτην δὲ φύσιν ἐννοεῖν, πολὺ εὐήθες.
2 Ἡ δὲ ἀλήθεια αὕτη. Τυρρηνῶν νῆες⁵ ἦσαν, αἱ ἐλπί-
ζοντο

Cant. Gal. habebant vitiofe, ἐκ Κυρηναίης. Neque vero ne-
cesse est, vt Italiam olim pu-
temus Τυρρηνίαν dictam fuiſ-
ſe; quae erat Tollii opinio:
immo quum Scylla feratur in
freto Siculo, ad Rhegium,
oppidum, fuiſſe: praestat di-
cere, Τυρρηνίαν pertinuiſſe
tum vſque ad Rhegium, ita,
vt ἐν fit iuxta, non procul a.
Quam quidem coniecturam
adiuuare videntur, et confir-
mare, ea, quae leguntur ap.
Apollodorum bibl. 2. p. 125.
Fab. Paulo poſt in Cod. Cant.
Gal. extabat, κυνῶν δὲ κεφα-
λαί ἐντεῦθεν· ſed Aldinae
operae dederunt κεφελαί·
vitiofe: quod tamen ſcriptu-
rae vitium in Baſil. non eſt
ſublatum.

3. Αὐτῇ deest in Cod.
Mosqu.: ſed pro προσπεφύ-
κασι idem Codex habet προσ-
πεφύκαſαν· quod quidem
Tempus ſane conuenientius
eſt verbo ἦν.

4. Ald. Baſ. Apoſtol. τὸ δ'
ἄλλο. Paulo poſt in Cod. Cant.
Gal. erat, πολλῆς σύμθειας·
et in Cod. Arund. Tol. Oxon.
x. Mosqu. πολλῇ σύμθεια. At-
que in Cod. Tol. praeterea
pro ἐννοεῖν ſcriptum erat
νοεῖν· quod verbum ita legi-
tur fab. 13, 2.

5. Haec erat leſtio Codd.
Oxon. et Mosqu. Et Τυρρην-
ῶν quidem Tollius quoque,
et Brunerus, legendum recte
videntur: νῆες autem erat et-
iam in Cod. Rau. Nam Ald.
Baſ. Tol. Brun. Pat. Gal., et-
iam Apoſtolii et Eudociae li-
bri, habent, Τυρρηνίων νῆ-
ſοι· quam leſtionem vel ver-
ba αἱ ἐλπίζοντο docent ferri
non poſſe: et Tuſci Τυρρην-
νοὶ dicuntur, non Τυρρηνιοί,
Euſtathius ad Dionyſ. Perieg.
347. "Οτι Τυρρηννοί, οἱ καὶ
Τρῆſκοι [leg. Ἐτρῆſκοι] λε-
γόμενοι, καὶ Τῆſκοι, παρὰ
Ῥωμαίοις, ἔθνος λητρικόν, καὶ
ὠμόν, καὶ ἀπάνθρωπον —.
Stephanus Byzant. v. Κύζι-
κος· τὸ Τυρρηννοί — οἱ χα-
λεκοὶ διὰ τὸ λητρίεſθαι τὰς
Τυρρηνέας· vbi v. Berquellius.
Idem Stephanus: Τυρρηνία·
χωρά προς τῷ Ἀδρία —. ἔστι
καὶ Τυρρηνία πόλις, ἣ λέγα-
ται καὶ Τυρρηνή· καὶ Τυρ-
ρηννοί, οἱ πολῖται. Miror igitur,
Stauerium in notis ad
Fulgentii Mytholog. p. 686.
ſequutum eſſe mendosam
iſtam leſtionem: ſed idem
non miror Phasianinum non
vidiſſe eius menda. vertit e-
nim, *Tyrrhenorum inſulae* —.
Neque vero melius pro Τυρ-
ρηνῶν Codd. Cant. Gal. ex-
hibebant Κυρηνῶν, vt ſ. i. ἐκ
Κυρη-

ζοντο τὰ περίχωρα τῆς Σικελίας⁶, καὶ τὸν Ἴονιον κόλπον. Ἦν δὲ ναῦς⁷ τριήρης ταχῆα, τό, τε ὄνομα⁸ Σκύλλα. Αὕτη ἡ τριήρης⁹ τὰ λοιπὰ τῶν πλοίων συλλαμβάνουσα, πολλάκις εἰργάζετο βρῶμα¹⁰, καὶ λόγος

F 5

γος

Κυρηνας, pro ἂν Τυρρήνια· quae tamen praua scriptura confirmat rectam lectionem Τυρρήνων.

6. Mosqu. σικελίας. Bas. τὰ περίχωρα. mendose.

7. Cod. Mosqu. ἦν δὲ καὶ ναῦς.

8. Τὸ δὲ edidimus, pro quo vulgati antea τότε habebant. *Dresigius*. Nimirum in Ald. Bas. Tol. Brun. Pat., Galei edit. Cantabrig., et apud Apostolium et Eudoc., extat ταχῆα τότε, ὄνομα Σκύλλα. At primo Galeus in exemplo Amstelodamensi edidit ταχῆα, τό, τε ὄνομα Σκύλλα· idque fidē et auctoritate Cod. Cantabrig. Deinde Tollius testatur in suo Codice fuisse, ταχῆα ἢ ὄνομα Σκύλλα [sic enim scribi debet pro Σκύλλα· nam in libris scriptis, ut in Cod. Homeri Lipsiensi, saepissime omissa est nota illa litterae Iota. v. Ernestius ad Il. ὁ, 90.] καὶ κατεγέγραπτο ἐπὶ τῆς πρώρας. Posteriora verba καὶ κ. δ. τ. πρ. Galeus etiam in Cod. Cant. inuenit. Atque nobis quidem lectio ἢ ὄνομα Σκύλλα vera videbatur; praesertim quum Phasianus quoque eam non dubium sit, quin in libris suis offenderit, certe sequutus sit:

reddidit enim verba Graeca Latine sic, *triremis velox*, cui *Scylla erat nomen*: et si bene scimus, legi etiam posse ἢ ὄνομα Σκύλλα· ut fab. 27, 3. ἢ ὄνομα ἦν Δράκων· et fab. 29, 5. ἢ ὄνομα Τελμισσός· et s. 6. ἢ ὄνομα Χίμαιρα· et ap. Herodo. 1, 107. τῷ ὀνόματι ἦν Καμβύσης. Etiam Latini utroque modo loquuti sunt. v. Gronovius ad Liu. 1, 1. 4. Aut certe legendum est cum Galeo, et distinguendum, ita, ταχῆα, τό, τε ὄνομα· quod recipere ausi sumus, addicente usu loquendi Palaephati: vid. fab. 23, 2. 24, 3. —: in primis quum sic extaret origo lectionis librorum editorum veterum. Certe *Dresigii* emendatio, quamvis facilis nec audax, tamen vana videbatur. Caeterum etiam nos in Cod. Mosqu. scriptum inuenimus, τότε, ἢ ὄνομα Σκύλλα, καὶ κατεγέγραπτο ἐπὶ τῆς πρώρας.

9. Ab Cod. Mosqu. abest ἡ τριήρης.

10. Codd. Oxonn. Arund. πολλά κακὰ εἰργάζετο· Cod. Tol. πολλά κακὰ εἰργάσατο, omisso nomine βρῶμα· quod nec in Cod. Mosqu. legitur. Alteram lectionem Phasianus quoque reddidit, cibum saepius

3 γος ἦν περὶ αὐτῆς πολὺς. Ταύτην τὴν ναῦν Ὀδυσσεὺς, Φορῶ καὶ λάβρω ¹¹ πνεύματι χρησάμενος, διέφυγε. Δηγήσατο δὲ ¹² ἐν Κερκύρα ¹³ τῷ Ἀλκινόῳ, πῶς ¹⁴ ἐδιώχθη, καὶ πῶς ἐξέφυγε, καὶ τὴν ἰδέαν τῆς πλοῖς ¹⁵ ἀφ' ἧν ¹⁶ προσανεπλάσθη ὁ μῦθος.

ΚΕΦ. ΚΒ'

saepius assequebatur. Sensus scilicet est, nauem illam piraticam, Tyrrhenos piratas, exceperisse alias naues, eas dissipuisse, atque adeo de raptο vixisse.

11. Ald. Bas. Tol. Brun. Pat. Gal. ed. Cantabr. Apost. σφοδρῶ καὶ λαύρῳ. Gal. ed. Amstel. σφοδρῶ καὶ λάβρῳ. Eudoc. ταύτην τὴν ναῦν Ὀδυσσεὺς λέγεται ὅτι σφοδρῶ καὶ λάβρῳ. Atque sic, non λαύρῳ, quod etiam in Codd. Oxonn. Arund. Tol. erat, scribendum esse, recte contendit Pantinus in notis ad Apostolium 18, 52. p. 360. Scilicet, et peruersa pronuntiatio quorundam, et figura u, h. e. β, quam librarii, alii legerunt, vt υ, alii, vt μ, peperit prauam istam huius vocabuli, multorumque eius generis aliorum, scripturam. v. Casaubonus ad Athen. p. 848.: Vuesseling. ad Diod. Sic. p. 537. To. 2.: Albertius ad Hesych. p. 120. To. 2.: Doruillius ad Charit. p. 45. et 114. Amstel.: Schottus ad Zenob. Pronerbb. 4, 6. p. 80.: Stephanus Paralipomm. Gramm. Grr. p. 5.: Montefalconius Palaeogr. Gr. p. 263. Vnde in Cod. Mosqu.

pro λαύρῳ, h. e. λάβρῳ, liberrarius scripsit adeo λαμπρῶ. Etiam Phasianinus legit σφοδρῶ. Latina enim eius versio habet, *vehementi — vento vsus*. At quum res, quae narratur, ostendat, non tantum quaeri, an ventus vehemens, sed maxime an secundus ventus, egerit nauem Vlyssis: non dubitamus, quin Dresigius pro σφοδρῶ recte receperit Φορῶ, idque auctoritate Codd. Oxonn. Arund. Tol. Mosqu.: qua librorum veterum auctoritate adducti nos quoque reposuimus Φορῶ. Sic ap. Caes. B.C. 3, 101. 2. est *magno vento et secundo*: qui a Virg. Aen. 4, 430. *ventus ferens* vocatur. Σφοδρῶ videbatur nobis huc venisse e fab. 13, 4.

12. Eudoc. δ'.

13. Ita rectissime scriptum legitur in Ald. et Bas.: neque Apostolii et Eudociae libri, et Cod. Mosqu., aliter legunt. At Tollius quum Κερκύρα mutasset in suo exemplo in Κορκύρα: haec scriptura ex eius exemplo venit in reliqua omnia, etiam Dresigiana. Scilicet haec insula, et Κέρκυρα dicitur, et Κόρυρα, ita tamen, vt haec nominis scriptura recentior, illa anti-



Κ Ε Φ. ΚΒ'

ΠΕΡΙ ΔΑΙΔΑΛΟΥ *

Λέγῃσι περὶ Δαυδάλης, ὡς ¹ αἰγάλματα κατεσκεύα-
ζε ² δι' ἐαυτῶν ³ πορευόμενα. Τὸ δὲ ⁴ ἀνδριάντα
δι' αὐτῆ βαδίζεν ἀδύνατον εἶναι, δοκεῖ ἔμοιγε. Τὸ δὲ ²
ἀλφ

antiqua, esse videatur. v. Hel-
lanicus ap. Stephanum By-
zant. v. Φαίαξ. Eustathius
ad Dion. Perieg. 492.: Ca-
saubonus ad Strab. 1. p. 76.
Almel.: Quirinus Primordd.
Corcyr. c. 2.: Vuesfel. ad
Diod. Sic. p. 316. To. 1.:
Spanhemius, et Ernestius, ad
Callim. h. in Del. 156.

14. Cod. Mosqu. ὡς, et πῶς
ante verbum ἐξέφυγε omittit.

15. Cod. Mosqu. τὴν ἰδέαν
πλοιαρίε, omisso Articulo.
male.

16. Verba αἶφ' ὅν προσαν.
ὁ μῦθος non habet Eudocia:
et in Cod. Mosqu. legitur,
προσανεπλάσθη δὲ ὁ μῦθος,
omissis verbis αἶφ' ὅν.

* Aberat haec Fabula ab
Cod. Cant. De re ipsa, quae
attingitur ibi, legi possunt
Diod. Sic. 4. p. 276. To. 1.
Rhodom.: Themistius 15. p.
358. Petau.: Dio Chryf. orat.
37. p. 457. Mor.: Suidas v.
Δαυδάλης ποιήματα. schol.
Lucian. p. 35. To. 2.: Tze-
tzes Chill. 1. 19. Caeterum
hoc Caput in Cod. Mosqu. est
Caput primum et vicesimum:
transfudit illud in notas suas

ad Eusebii Chron. p. 45. Sca-
liger: et partem eius alte-
ram, hoc est, explicationem
Fabulae, in Violarium suum
contulit Eudocia p. 102. f.
Conf. Ludou. Vives ad Au-
gustin. C. D. 18, 13. Respe-
xit ad hanc Fabulam Plato
Euthyphron. c. 12.: vbi v.
Forsterus p. 331.

1. Cod. Mosqu. Περὶ δαι-
δάλης λέγεται, ὡς.

2. Scal. d. l. κατεσκευ-
ασε.

3. Verba haec δι' ἐαυτῶν,
quae in Ald. Bas. Tol. Brun.
Pat. Gal. non leguntur, ne-
que apud Scaligerum d. l.,
addidimus cum Drefigio e
Codd. Oxonn. Arund. Tol.
Mosqu., vt Forsterus ad Plat.
Euthyphron. p. 331. Nam
verba δι' αὐτῆ βαδίζεν ea re-
quirere videntur. Iam Pha-
sianinus, aut legit δι' ἐαυτῶν
πορευόμενα, aut certe vide-
rat, verbum πορευόμενα sim-
pliciter positum complecti
notionem verborum δι' ἐαυ-
τῶν. vertit enim, *statuas per
se ambulantes.*

4. Scal. τὸν δὲ — δι' αὐ-
τῆ.

ἀληθὲς τοῖστον⁵. Οἱ τότε ἀνδριαντοποιοὶ καὶ ἀγάλ-
ματοποιοὶ κατεσκευάζον ἀνδριάντας, συμπεφυκότας
ἔχοντας καὶ τὰς πόδας. Δαίδαλος δὲ πρῶτος⁶ ἐποίησεν
3 διαβεβηκότας τὸν ἕνα πόδα. Οἱ δὲ ἀνδρῶνες⁷ ἔλε-
γον,

5. Eudoc. pro λέγειν — τοῖστον habet, περὶ δὲ τῷ
Ἐρμῇ περὶ Δαίδαλου,
ὡς ἀγάλματα κατεσκευάζε
πορευόμενα, ἕως ἢ ἰσορία
ἔχει. Et in Cod. Mosqu. post
πορευόμενα legitur, ὅπερ ἔ-
μοιγε ἀδύνατον εἶναι δοκεῖ,
ἀνδριάντα δὲ αὐτῷ βαδίζεν.
Scal. τὸ δ' ἄλ. τοῖστον. Cod.
Oxon. 1. τὸ δὲ ἄλ. ἐν τῷτο.
At etiam fab. 44, 1. est ἐγέ-
νετο τὸ τοῖστον, et fab. 14, 1.
τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖστον. Mox
in Codd. Oxonn. Arund. Tol.
erat κατεσκευάζον ἀνδρ. [Tol-
lius in suo libro non inueni-
se videtur hoc nomen: et
abesse sic certe debet] συμ-
πεφυκότας ὅμῃ τὰς πόδας,
καὶ τὰς χεῖρας παρατεταμέ-
νας ἐποίησεν. Cod. Mosqu. ha-
bet, ἀγάλμ. ὅμῃ τὰς χεῖρας
καὶ τὰς πόδας τετανόντας
ἐποίησεν. At haec additamenta
videntur Grammaticis deberi.
Certe continentur ista omnia,
et declarantur, iam particula
καὶ h. e. etiam [v. Aristoph.
Plut. 839. Xen. Cyrop. 1, 5.
3.] ante verba τὰς πόδας.
nam haec ostendit lectoribus,
ab statuariis ante Daedali ae-
tatem statuas ita fabricatas
esse, vt nec manus distarent
a reliquo corpore. Vnde mi-
ramur, suspectam fuisse hanc

particulam Scaligero, qui
eam in notis ad Chron. Eu-
sebii p. 45. b, vncinis includi
iussit, omisso etiam Partic.
ἔχοντας, et Forsterum ad
Plat. Euthyphron. p. 331. pro
καὶ recepisse ὅμῃ. Neque
vero magis placet coniectura
Lederlini ad Polluc. 3, 91. p.
314., qui pro συμπεφυκότας
reponi posse putabat συμβε-
βηκότας. nam aliud est συμ-
βεβηκώς ἄμφω τὴν πόδα, aliud
συμβεβηκότας πόδας: et illa
ipsa particula καὶ requirit ver-
bum, quod etiam manibus
accommodatum sit. Tale au-
tem verbum est συμπεφυκό-
τας, sed nullo modo συμβε-
βηκότας.

6. Abest πρῶτος ab Ald.
Bas. Tol. Brun. Pat. Gal. Scal.,
additum ab Dresigio e Codd.
Oxon. et Tol.: quod nos
quoque retinuimus, ita ta-
men, vt fateamur, id recte
abesse, et saluo sensu, posse.
Tollianus enim liber habebat,
πρῶτος ἐποίησεν: et in Oxo-
niensibus Codicibus Galeus
scriptum inuenerat, πρῶτος
ἐποίησεν διαβεβηκότα, vt nos
in Cod. Mosqu. πρῶτος ἐποί-
ησεν διαβεβηκότα, quasi ἀ-
γάλματα praecederet, non
ἀνδριάντας.

7. Codd. Oxonn. διὰ τῷτο
δὴ

γον, Ὀδοιπορεῖν⁸ τῷτο τὸ ἀγαλμα, ὃ εἰργάσατο Δαΐ-
δαλος, ἀλλ' ἐχὶ ἐτηκός⁹ ὡς καὶ νῦν λέγομεν. Εἰσί
γε¹⁰ καὶ μαχόμενοι ἄνδρες γεγραμμένοι, καὶ τρέχον-
τες ἵπποι, καὶ χειμαζομένη ναῦς¹¹.



Κ Ε Φ. ΚΓ'

ΠΕΡΙ ΦΙΝΕΩΣ *

Ἰσορῆσι

δὴ οἱ ἄνθρωποι, vt Forsterus
ad Plat. Euthyphron. p. 331.
Cod. Mosqu. habet, τῷτο δὴ
οἱ ἄνθρωποι· intell. ἔνακα.
Vtraque lectio nata videtur
e glossemate. Certe δὲ est
h. l. idem, quod ἐν, vt fab.
24, 5. 38, 5. Atque mox in
iisdem libris Oxonn. erat Ὀδοι-
πορεῖν τὸ ἀγαλμα τῷτο εἰρ-
γάζετο, vt in Cod. Mosqu.
Ὀδοιπορεῖν τὸ ἀγ. τῷτο εἰργά-
σατο.

8. Scal. Ὀδοιπορεῖν· at sic
nec Particip. ἐτηκός intactum
relinqui debuisset. Scilicet
Particc. Ὀδοιπορεῖν et ἐτηκός
posita sunt, intell. ἔσι, pro
Temporibus finitis, Ὀδοιπορεῖ
et ἔτηκε· v. Animaduers. ad
Gram. Vuel. p. 330. et Ra-
phellius ad Aët. 24, 5. Et
quum verba illa sint verba
vulgi: vsu loquendi Palae-
phati admoniti, verba Ὀδοι-
πορεῖν τῷτο κ. π. λ. nunc se-
iunximus a verbis, οἱ δὲ ἄνθρ.
ἔλεγον, nota incisi post ἔλε-
γον posita. vid. fab. 3, 6. 8, 4.
11, 3. 16, 3. 19, 5. 23, 3. —

9. Scal. ἀλλὰ. Cod. Mosqu.
ἐτηκός. male.

10. Ita etiam nuper rescrip-
simus e Cod. Rau. pro δὲ,
quod est in libris editis omni-
bus, et ap. Eudoc. atque Sca-
ligerum: quae particula ne-
scio an possit ita retineri, vt
dicatur habere vim Coni. γάρ.
Nostra lectio videtur confir-
mari auctoritate Cod. Mosqu.,
in quo pro εἰσί γε — γεγρ.
legitur, μαχόμενοι γε ἄνδρας
γεγραμμένοι εἰσίν.

11. Cod. Mosqu. χαμ. ναῦς·
ἔτω κᾶκῆνον ἔλεγον Ὀδοιπο-
ρεῖντα ποιῶν. Codd. Oxonn.
ναῦς χειμαζομένη, ἔτω κᾶ-
κῆνον ἔλεγον ποιῶν ἀγάλμα-
τα Ὀδοιπορεῖντα. Quae qui-
dem verba aliena, neque ab
ipso auctore profecta, nobis
videbantur.

* Cod. Oxon. 1. παρὶ AP
ΠΤΙΩΝ καὶ ΦΙΝΕΩΣ. non
male. Sed de Fabula Phineī
ipsa plura leguntur apud A-
pol. Rhod. 2, 178. ff.: Diod.
Sic. 4. p. 447. f. To. 1. Rho-
dom.: Apollodorum bibl. 1.
p. 57. f.: Heraclitum fab. 8.:
Hyginum fab. 19.: Fulgen-
tium Mythol. 3, 11.: schol.
Hom. ad Odyſ. μ', 70. ex
Ascle-

1 Ἰσορῆσι¹ περὶ Φινέως, ὡς διεφόρεν² αἰ³ Ἀρπυιαὶ³ τὴν βίον⁴ αὐτῆ. Δοκῆσι δὲ ἐνίοις, θηρία καὶ⁵ πετενναὶ εἶναι

Asclepiade: Eustath. ad Odyf. μ' p. 1712. Rom.: etiam Tzetzen Chill. 1, 7. 208. — 227., qui in ea explicanda ducem sequutus est Palaephatum. Attingitur a Pausan. 5, 17. extr. et Plut. p. 852. A To. 2. Fabulam de Boreae filiis Eudoc. p. 202. f. petiit ab schol. Apol. Rhod. ad 1, 211.: apud quem ipsum ad 2, 178. legitur magna pars eorum, quae eadem femina in Violar. p. 414 f. congeffit de Phineo, eiusque casibus: quibus intexta sunt p. 416. etiam ea, quae perhibentur hoc in Capite Palaephati: quod in Cod. Mosqu. est Caput secundum et vicesimum.

1. Codd. Oxonn. Arund. Tol. *ἰσορεῖται* vt fab. 21, 1. λέγεται, pro λέγεται. Sed primo ab Oxonn. et Arund. affuerunt verba περὶ Φινέως: deinde loco Pronominis αὐτῆ legebatur τῆ Φινέως. recte. Cod. Mosqu. *Περὶ Φινέως ἰσορεῖται*.

2. Drefigijs *διεφθέρων* edidit, sequutus auctoritatem Codd. Oxonn. et Arund. Nam in Cod. Tol. erat, vt apud Apostolium [21, 25.], *διεφθόρων* quod probabat Tollius. Nobis vero ab Palaephati manu profectum videbatur verbum *διεφόρεν*, quod est in

Ald. Tol. Brun. Pat. Gal. et ap. Eudoc., eratque in Cod. Rau. et Mosqu. Nam quum significatio ista verbi *διαφθεῖν* esset paulo rarior et ignotior: proclive est intellectu, quam facile fieri potuerit, vt manus librariorum rudēs verbum *διεφθέρων* non minus, quam verbum *διεφθόρεν*, e margine conuerterent in contexta, deleta et omisso altero *διεφθόρεν* praesertim quum viderent, verbum *διαφθεῖν* inferius f. 3. ab ipso auctore Fabulae vsurpari. Hesychius: *Διεφθόρησαν· διασκορπίσαν*. Etiam rapacitati Harpyiarum, de quibus v. Hesiodus *Θεογ.* 267. fl., ipsi verbum *διαφθεῖν* accommodatius est, quam verba *διαφθεῖν*, et *διαφθόρεν*. Pluribus vindicata a nobis est lectio *διεφόρεν* in libello secundo super nonnullis locis Palaephati f. 3.: quam adeo recipere in ordinem non dubitauimus.

3. Sic legunt iidem Codd. Oxonn. Arund. Sed Cod. Mosqu. Ald. Bas. Tol. Brun. Pat. Gal. Eudoc. Apostol. habent *ἄρπυια*, omisso Articulo.

4. Haec erat lectio Codd. Oxonn. Arund. Rau. Mosqu., quam, et Apostolii libri confirmant, et series orationis requi-

21

(Palaeophatus)

ZAT

Q. B. V

Aetas antiquissima quum videret, pro sapientia sua, facile, animos hominum, puerorum maxime, et muliercularum, nouis inuiscitatisque rerum speciebus magis ad cognoscendum et discendum allici, atque citius moueri in vtramque partem, quam formis earum visitatis cotidianisque: non modo poëtae, sed etiam principes ciuitatum, atque philosophi, etiam historici, tum, quae ad naturam vniuersitatis rerum perspiciendam, vel ad conformandos mores hominum, ciuiumque, vel ad res gestas ipsas exponendas, pertinerent, ea fabularum, et solertissime excogitarum, et elegantissime expressarum, integumentis inuoluere instituerunt ^a). Cuius quidem antiquitatis prudentiae singularem hoc in genere excellentiam, vtilitatemque latissime patentem, ab Strabone ^b), non minore sane philosopho, quam geographo, ita demonstratam esse, atque patefactam, videmus, vt grauitas disputationis viri ea de re, atque elegantia, intellegentissimo cuique ipsa facile appareat. Sed quum hominibus

a 2

postea

a) Vid. Heinii, viri summi, dissertatio de causis fabularum, seu mythorum, veterum physicis, Opuscul. Academi. P. I. n. 6.: Commentatio de aetate mythica, et mythologia, quae inserta est Commentatt. societatis regiae scientia-

rum Gottingensis Vol. 8.: et Praefatio ad notas ad Apollodori bibliothecam: itemque Melmani disputatio de causis, et auctoribus, narrationum de mutatis formis, Gottingae edita A. C. 1786. 8.

b) lib. I. p. 35. ff. Almelou.

postea veritas nuda magis placere, quam inuolucris contexta, coepisset; quum plerorumque mythorum vis, et sensus, perpaucis satis cognitus esse videretur: exorti sunt breui tempore multi, qui fabulas in primis eas, quibus aetas prisca facta quaedam complexa esset, interpretari breuiter conarentur. Atque hoc quidem in numero, etiam Eustathio ^{c)} auctore, scimus, praeter Heraclitum, et Characem, aliosque, fuisse Palaephatum: cuius opusculi reliquias, quae ad nostram peruenere memoriam, a nobis iam sextum editas esse laetamur.

Auctor enim huius libelli, siue Aegyptius ille fuerit, siue Atheniensis, philosophus et grammaticus, etli non plane constat, quo potissimum saeculo vixerit: tamen vel oratio, qua vsus est homo, satis loqui videtur, aetatem eius in tempora Ptolemaeorum incidisse. Certe stylo Palaephati tanta intercedere nobis quidem videtur cum stylo Eratosthenis, aliorumque eiusdem aetatis atque generis scriptorum, similitudo, vt nec ab vsu Alexandrinorum verborum abstinuisse reperiatur ^{d)}. Et quanquam operam a Palaephato in explicandis veterum mythis positam legimus sese Iohanni Tzetzae adeo non probasse, vt eum etiam ausus sit ineptum fabularum interpretem vocare ^{e)}: tamen nec ignoramus, Tzetzen non sedisse idoneum hac in causa iudicem, et multitudinem Codicum calamo scriptorum, et editionum, et versionum Latinarum, aliarumque, opusculi satis declarare videmus, contigisse

c) ad Odyf. δ' p. 1504. et ad Odyf. τ' p. 1859. Rom.
d) Vid. Index Graec. v. βα-

σιλίσσα et ὑπαντιάζειν.
e) Vid. Chil. 9. hist. 21. v. 407. ff. et v. 441.

gisse ei saeculo quoque non mediocrem lectorum omnis generis cupidorum numerum.

Etenim, praeter eos Codices, quos in Praefationibus superiorum editionum laudauimus, extant alii tres Venetiis in bibliotheca S. Marci ¹⁾, totidem Parisiis in bibliotheca regia ²⁾, vnus in bibliotheca Vaticana ³⁾, vnus denique Mosquae in S. Synodi bibliotheca ⁴⁾. Sunt autem omnino omnes in charta, quarto, quintoue, decimo saeculo, ab Christo nato scripti: sed Mosquensis Codex etiam est, vt plures alii, quorum copiis Tollius, et Galeus, vsi sunt, valde contaminatus, ita, vt Palaephati oratio alienis additamentis multis aucta conspiciatur. His vero ornamentis scilicet aduenticiis caruit ille Codex, ex quo Aldus Manutius hunc libellum primus edidit: quae eadem integritatis laus debetur iis Codicibus, quos Eudocia, et Apostolius, et Brunerus, adierant.

Et de Manutii quidem, Tollii item, et Bruneri, reliquorumque opusculi Palaephatei editorum, in illud meritis in epistola ad Fratrem optimum satis exposuisse videmur. Etenim Ioh. Oporinus, vt opi-

a 3

nor,

f) Vid. Catal. Codd. MSS. Grr. bibl. Venet. S. Marci p. 273. Cod. 509. p. 277. Cod. 513.: quibus duobus Codd. addendum esse tertium, Cod. 490., docet Villoisonius Anecd. Grr. p. 243. To. 2. Conf. Montefalconius bibl. Codd. MSS. noua To. 1. p. 468. E.

g) Vid. Catal. Codd. MSS. bibl. reg. Paris. To. 2. p. 521. Cod. 2557. p. 543. Cod. 2720. p. 562. Cod. 2860.: quibus

addendus est p. 605. Cod. 3078., quo continetur varietas lectionis Palaephatei a Salmasio e Cod. vet. excerpta. Conf. Montefalconius bibl. Codd. MSS. nou. p. 742. C et p. 770. E To. 2.

h) Vid. Montefalconius d. l. p. 8. E To. 1.

i) Vid. Matthaei V. C. Notitia Codd. MSS. bibliothecarum Mosquensium S. Synodi p. 14.

nor, exemplum Aldinum ^k), adiuncta comite versione Phasianini Latina, cum epistola eiusdem viri docti ad Ricardum Noruicensem, et praefatione ad lectorem, vel correctum ^l), vel deprauatum ^m), prodire octonis ex officina sua Basileae ita iussit, vt, praeter Iuliani Aurelii, Lessigniensis, de cognominibus deorum gentilium libros tres, Phurnuti, siue Cornuti, opusculum de natura deorum cum interpretatione Latina Cunr. Clauseri, cuius epistola ad Christo. Clauserum anno tertio et quadragesimo saeculi sexti decimi scripta est, addiderit. Hoc exemplum Basileense, quod sine nomine librarii, editionisque anno, exiit, a se multis in locis, cum recte ⁿ), tum praue ^o), immutatum Corn. Tollius ita describendum ab operis curauit, vt Aldinum exemplum ipsum non inspexerit. Quam quidem Tollii hoc in genere negligentiam quum non animadvertisent editores reliqui: Brunerus primo, deinde Galeus ^p), texta libelli Palaephatei Graeca e Tolliano exemplo repetierunt, sicut P. Pater in iis reddendis Bruherum est ducem sequutus ^q). Etsi enim in bibliotheca Pe. Francii ^r) fuisse dicitur exemplar editionis Romanae, cura Benedicti Aegii, anno quinto et quinquagesimo saeculi sexti decimi, octonis

k) Vid. fab. 2, 9, 41, 8, 44, 1. 47, 1. 50, 2. —.

l) Vid. fab. 6, 4, 23, 4, 32, 15, 38, 1. 39, 2. 41, 4. 50, 1. —.

m) Vid. fab. 7, 6, 13, 1. 30, 1. 3. 31, 11. 32, 8. 38, 6. 39, 3. 4. 41, 2. 42, 1. 46, 2. —.

n) Vid. fab. 13, 1. 46, 2. —.

o) Vid. fab. 2, 1. 9. 6, 2. 16, 1. 24, 4. 30, 2. 31, 4. 32,

16. 40, 2. 51, 2. —.

p) Vid. fab. 32. not. 38. fab. 42, not. 1.

q) Vid. fab. 32. not. 17. let 49.

r) Vid. Catal. bibl. Franc. p. 219. n. 1613.

nis adornatae: tamen vix dubitandum esse putamus, quin auctor indicis librorum summi viri, errore memoriae lapsus, nomen Palaephathi ediderit pro Apollodori nomine, cuius sane bibliothecam constat illo ipso anno Romae esse ab Aegio primum emissam. Vti igitur libellus Palaephathi non inuenisset superiore saeculo tot editores doctos, diligentesque interpretes, qui essent salutis bonarum litterarum studiosissimi, nisi magnitudo utilitatis, quam lectio atque cognitio opusculi sapientiae doctrinaeque antiquae admiratoribus afferre posset, confessa fuisset tum atque explorata: vti nosmet ipsi non coacti fuissimus, post Dresigium, hoc mythorum corpusculum intra duodetriginta annos, in hac tanta litterarum Graecarum contemtionem, quinquies *) edere, nisi exemplaria eius nacti essent tot emtores liberales, qui illa viderent a se posse non sine magno fructu atque emolumento tractari: ita huius ipsius utilitatis cogitatione, quam pueri maxime seuera disciplina erudiendi ex hac fabularum sylloga percipere possent, Matthaeum, et Strothium, viros clarissimos et sapientissimos, adductos esse nouimus, ut Chrestomathiarum suarum corpuscula magno Capitum eius numero exornarint[†]). Et quis tandem sibi persua-

a 4

deat,

s) A. C. 1760. 1770. 1772. 1777. 1786. 8.

t) Chrestomathia Graeca Matthaei V. C. emissae est Mosquae A. C. 1773. 8. Insunt ei fabulae Palaephathi duodeviginti, 1. 3. 4. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 20. 22. 24. 26. 30. 33., p. 99.—140. Textus

Graecus petitus est ex exemplo editionis a nobis A. C. 1770. curatae: et in notis potestas verborum varia diligenter explicata est, atque scriptorum veterum auctoritatibus confirmata. Chrestomathia Graeca Strothii prodit Quedlinburgi bis, primum A. C. 1776.

deat, Phil. Phasianinum primo, deinde Iodocum Velareum, tandem Corn. Tollium, viros summae litterarum, non quaestus fordidi, studiosissimos, vnquam conatueros fuisse has Fabulas e Graeco in Latinum conuertere v), nisi certissime sperassent, cognitionem earum nec Graece indoctis inutilem esse futuram? Certe hoc ipsum consilium sequuti videntur Polierius, et Meinequius, viri doctissimi, quorum hic nuper x), post Ananian Engelschallium y), libellum Palaephathi theotisce, ille z) Francogallice, interpretari, additis etiam animaduersionibus, quae ad mythologiam maxime spectarent, instituit: vt anno superiore vir quidam doctus ostendit, se eundem libellum editurum esse cum Indice verborum Graecorum theotisce explicatorum: quod exemplum accepi nostra in vrbe proditurum esse mercatu huius anni auctumnali.

Nobis quidem etiam in adornanda hac noua opusculi vtilissimi editione propositum fuit vnice hoc, vt studia puerorum, qui, non tantum cognoscere illud, atque intellegere, sine magistrorum opera, sed omnino naturam et ornatum linguae Graecae diligenter per-

C. 1776. 8., iterum A. C. 1780. Aucta est ipsa quoque duodeviginti opusculi Palaephatei Capitibus, 1. 3. 4. 9. 10. 11. 16. 18. 19. 22. 25. 29. 30. 34. 39. 40. 41. 52., p. 52.—75. Verba Graeca descripta sunt ex editione nostra maiore secunda, et notae res tractant fere ad initia linguae Graecae et elementa pertinentes.

v) Versiones libelli Palaephatei

Latinae Phasianini, Velarei, et Tollii, coniunctim, cura nostra, editae sunt Lipsiae A. C. 1775. 8.

x) Quedlinburgi A. C. 1774. 8.

y) Olssnae A. C. 1671. 12. Vid. Schumelii liber, qui inscriptus est *Vberfetzzerbibliothec.*, p. 61. f.

z) Laufanae A. C. 1771. 12.

perspicere, vellent, omnibus modis adiuuaremus. Quare nobis in eo maxime elaborandum esse duximus, primo vt texta libelli Graeca omnibus scripturae mendis, quoad eius fieri posset *), purgarentur: deinde vt omnes loci, verba, omnia, quae vlllo modo obscura esse viderentur, ita illustrarentur, vt sententia loci cuiusque, potestas cuiusque verbi, ita appareret, vt etiam intellegentiae orationis omnia, et impedimenta, et adiumenta, paterent. Et verbis quidem Palaephathi vt suam redderemus integritatem, denuo vsi sumus subsidiis librorum, et scriptorum, et editorum, quos superiore in editione libelli adieramus, sed ita tamen, vt aliorum quoque Codicum auctoritatem, quorum vsuram nobis postea fortunae fauor tribuisset, adhibuerimus. Nam primo exemplum libelli Basileense, de quo supra dictum est, ipsi inspeximus: deinde contulimus cum libris editis Eudociae Violarium, cura Villoisonii nuper e tenebris in lucem prolatum *), in quod multas fabulas ex opusculo Palaephateo translatas esse vidissemus, et Codicem Mosquensem, quem bibliotheca S. Synodi asseruat, saeculo quarto decimo in charta bombycina scriptum, qui fabulas quinque et quadraginta, quinta enim fabula in eo non comparet, complectitur. Sed vt Eudociae Codex non diuersus fuit ab eo, quo Aldus Manutius vsus

est:

*) P. 51. v. 2. leg. Ἀργεία. p. 128. v. 1. et in not. 18. leg. 23' δ' p. 140. v. 4. leg. Ὀφθαλμόν p. 152. in not. 2. leg. Κατὰς. 17.: p. 170. in not. * leg. Malelas: p. 181. in not.

11. leg. ἐπεξεῖντο p. 195. in not. 5. leg. ἐθαύμασεν. In Ind. Graec. v. ἀκμή pro qui ap. Isocrat. leg. ita ap. Isocrat.

a) Venetiis A. C. 1781. 4.

est: sic nec Mosquensis Codicis scriptura multum discrepat ab scriptura Codicis Tolliani, et Oxoniensis primi, ita tamen, vt nonnullis in locis alia additamenta ^{b)}, et lectiones, vel cum Rauiano Codice communes ^{c)}, vel proprias, easque optimas ^{d)}, habeat. Huius Codicis varietatem scripturae miserat ad nos, pro singulari humanitate sua, ante plures annos, Mosqua, qua in vrbe tum degebat, Christ. Frider. Matthaeus, vir longe eruditissimus, et liberalissimus institutorum nostrorum fautor: sed lectiones, quas idem ille vir doctissimus e Codice Violarii Arsenii, Michaëlis Apostolii filii, Mosquensi ^{e)} in vsus nostros non minore diligentia excerpserat, parum nobis in constituendis textis libelli Palaephaetei Graecis profuere. Vidimus enim, filium fabulas illas in Violarium suum ex opere Paroemiarum paterno plane immutatas transtulisse. Quae quidem omnia lectores magis etiam cognoscent ex animadversionibus nostris, quas Christo. Aug. Heumani ^{f)}, sagacissimi viri, aliorumque doctorum hominum, coniecturis ita ditatas inuenient, vt in iis de lectionis diuersitate fere sic disputarimus, vt sensus multorum locorum, disputationis nostrae auxilio, ab omnibus, qui mentem ei intendere vellent, reperiri facile posset. Sed plura et maiora huius studii sui adiu-

b) Vid. fab. 12. not. 5. fab. 28. not. 22. fab. 35. not. 5. fab. 44. not. 1.

c) Vid. fab. 13. not. 3. fab. 32. not. 43. fab. 42. not. 5.

d) Vid. fab. 11, 2. 27, 1. 29, 1. 31, 1. 6.

e) Vid. Matthaei Notitia

Codd. MSS. bibliothecarum Mosquensium S. Synodi p. 14.


f) Vid. Heumani Parergg. Critt. p. 106.—112.: quae exierunt Ienae A. C. 1712. 8. v. Acta Eruditt. A. C. 1712. p. 280. ff.

adiumenta petere pueri poterunt ex Indice verborum Graecorum, quem multis nunc copiis nouis, et necessariis, adauctum reperient. Et quanquam in eo, vt in ipsis notis, maxime hoc egimus, vt tirones, non modo Palaephatae orationis ingenii, sed omnino linguae Graecae naturae, legumque artis interpretandi, scientia impertirentur: tamen, ne ipsarum eos rerum, fabularumque, cognitionem negligere iubere videremur, locos scriptorum veterum vtriusque linguae de fabula quaque multos, eosque fere classicos, laudauimus, quos legere, et inter se conferre, ita possent, vt copiam, inopiamue, ingenii scriptoris cuiusque, et, vel consensus eorundem grauitatem, vel dissensus leuitatem, cognoscerent.

Caeterum deum O. M., qui tot et tanta nobis adhuc benignitatis suae incredibilis documenta etiam hoc in genere studiorum nostrorum dedit, ardentissime rogamus atque oramus, velit hanc quoque operam nostram omnem iuuentuti Graecarum litterarum, antiquaeque sapientiae, studiosae quam vtilissimam reperiri iubere. Scripsi Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. III. Nonas Martias A. C

CICIDCCCLXXXVIII

VIRO



V I R O

SVMME REVERENDO

FRIDER. EBERHARDO BOISIO

THEOLOGO QVEDLINBURGENSI

ERVEDITISSIMO ET CELEBERRIMO

S. D.

IOH. FRIDER. FISCHERVS

Et si dei providentia, principumque auctoritate, in eo te collocatum honoris dignitatisque gradu conspiciamus, Vir summe reuerende, ut diuinæ maxime doctrinae opes atque copias exponas aliis atque explices; etsi te omnes sciunt instructissimum esse iis praesidiis omnibus, quae necessaria videantur, vel ad intellegendos eos libros, e quibus, tanquam copiosissimis armariis, depromi omnem doctrinae diuinæ ornatum apparatusque debere constat, vel ad dapes eius ita apparandas et apponendas, ut dulcedo earum atque suauitas ab omnibus adeo sentiat, ut summa illas aviditate attingant et deuorent: tamen reliquas litteras bonas, in his Graecas maxime et Latinas, historiamque veterem, sine quarum comitatu honesto tu praeclare intellegis perueniri nullo modo ad intellegentiam explanationemque sacrarum litterarum idoneam atque utilem posse, a te adeo non contemni et neglegi, ut earum scientia longissime superes multos eorum, quibus hae partes datae sunt, ut praecepta earundem adulescentibus ingenuis in scholis publicis, et minoribus, et maioribus, tradant, et videmus laeti, et grati admiramur. Hac autem tanta tamque singulari bonarum litterarum omnium

scien-

scientia te illuc adduci, Vir celeberrime, ut fauore et benivolentia non vulgari prosequaris eos omnes, quoscumque videas earundem litterarum cupiditate et studio non mediocri captos teneri, sane eo minus mirandum videtur, quum tuæ fidei etiam eius scholæ cura commissa sit, cui Rambachius, Vir clarissimus, gener tuus, tanta cum laude approbationeque bonorum omnium praeest. Quo quidem in numero me quoque haberi, e sermonibus, quos instituisti mecum nuper, quum tu domum meam inuisere dignarerere, non sine summa animi mei voluptate intellexi. Huius vero gaudii mei interpretem iussi hanc nouam Fabularum Palaephati editionem ita esse, ut, si tu, Vir summe reuerende, studii bonarum litterarum mei constantiam inde cognouisses, tuo me fauore et beniuolentia complecti nunquam desineres. Cui quidem spei meae quin tu voluntate tua responsurus sis, quum de tua mihi grauitate et constantia satis constet, non dubito. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana prid. Kalendas Nouembres A. C. MDCCCLXXI

LECTORI



L E C T O R I
G R A E C A R V M L I T T E R A R V M
H I S T O R I A E Q V E F A B V L A R I S

S T V D I O S O

S

I O H. F R I D. F I S C H E R V S

Exiit igitur tandem, post longas librarii moras, maior nostra et copiosior opusculi Palaephatei editio, quam tibi, lector, eo gratiorem futuram speramus, quo maiori studio in ea collecta et eongesta inuenies, quaecunque, vel ad constituendum textum Graecum, vel ad intellegenda verba, pertinere videri possint. Qua quidem de opera nostra ut iudicare posses eo facilius ante, quam ipsum legere libellum institueres: faciundum putauimus, ut breuiter ostenderemus, et quorum nobis adiumentorum fuisset copia, et quomodo illis uti studuissemus.

Neque enim ignoramus, praeter Codices manu scriptos illos, quos superioribus huius opusculi editoribus inspicere contigit, reperiri multos alios in multis multarum ciuitatum bibliothecis. Florentiae quidem in bibliotheca Laurentiana Codices Palaephati extare scio duos: quorum vnus membranaceus est, saeculo quarto decimo scriptus octonis, et Fabulas continet sex et quadraginta ¹, quot sunt in Codicibus aliis fere omnibus: sed alter est chartaceus, descriptus quaternis quinto decimo saeculo, qui desinit, ut Cantabrigiensis Codex, in septimo et tricesimo Capite ². Et in bibliotheca Academiae Leidenensis habetur, non modo exemplar editionis

Basi-

1. Vid. Catalog. MSS. bibl. Laurent. plut. 60. Cod. 19. n. 3. p. 609. To. 2.

2. Vid. Catalog. MSS. bibl.

Laurent. plut. 56. Cod. 20. n. 1. p. 319. To. 2. Conf. Montefalconius bibl. Codd. MSS. noua p. 347. E et p. 361. D To. 1.

Basileensis, cuius margines sunt lectionibus veteris Codicis, nescio cuius, insigniti³, sed etiam Codex calamo in charta scriptus, in Codicibus Vossianis⁴: et Goensius⁵ quinque alios Codices commemorat, ab Vossio cum editis libris collatos, eosque ab iis, quibus Galeus usus est, diuersos, quorum lectionum sylloge sit in eadem bibliotheca. Horum igitur, aliorumque, Codicum auxiliis nouis quanquam caruimus in recensendo, constituendoque, textu libelli Græco: tamen primo adire nobis licuit Codicem bibliothecae Augustanae chartaceum, quaternis scriptum saeculo, vt opinor, quinto decimo: qui, praeter libellos plures alios, quos Reiserus in Indice Codicum huius bibliothecae⁶ enumerauit, historias fabulares de Pelope, Cecrope, et aliis, complectitur⁷, in his Fabulam de Amazonibus⁸, quae, aliorum librorum veterum auctoritate, Palaephato tribuitur, sed in illo Codice auctor eius, vt reliquorum capitum ad historiam naturalem maxime pertinentium, Psellus dicitur. nam Index totius Sylloges est hic, Ψέλες πρὸς τὸν Μιχαὴλ τὸν Κόμνηνον κεφάλαια διάφορα. Deinde lustrauimus etiam, et recognouimus, magna diligentia copias, ex antiquis Codicibus ab Tollio, Brunero, Galeoque, productas: quae quidem earum recensio eo magis necessaria visa est, quia nemo adhuc hanc curam et laborem susceperat: quam editorum hoc in genere negligentiam non parum miraberis, lector, cum Koenio⁹, si videris, nos multis ea re opusculi locis laborantibus succurrisse, multasque labe pulcherrimo corpusculo a librariis, Grammaticisue, adspersas exemisse atque sustulisse. Idemque beneficium contigit, opera nostra, huic ipsi libello ab exemplo Aldino, cuius lectiones bonas multas Tollius, vel Basileensis editionis auctoritate, vt videtur, deceptus, vel propria ablatus libidine, perperam immutauit: et editores reliqui, diligentia scilicet Tolliana contenti,

malas

3. Vid. Catal. bibl. Leid. p. 269. b.

6. n. 56. p. 84. ff.

7. p. 464. b — 485. a.

4. Vid. Catal. bibl. Leid. p.

8. p. 481. a.

403. n. 22.

9. ad Gregorium de dia-

5. ad Porphy. A. NN. p. 115. lectis p. 53.

malas istas, vitiosasque, lectiones intactas siuerunt. Praeter exemplum Aldinum, diligenter inspeximus Corpus Paroemiarum Apostolii, quem sciremus Codice vsum esse ab iis Codicibus, quos recentiores Palaephathi editores adhibuissent; diuerso. Et quamquam Phasianinus se in conficienda harum Fabularum versione Latina Aldinum exemplum sequutum esse ostendit, aliorum librorum veterum vsura caruisse: tamen quum vidissemus, eum, ingenii haud dubie auxilio, multos locos in Aldino Codice prae scriptos correxisse felicissime ¹⁰, etiam huius interpretationis Latinae rationem a nobis habendam, in recensendo textu Graeco, censuimus, non minus, quam coniecturarum, quibus multi doctissimi homines, in primisque Bataui, conati essent mederi vulneribus corpusculi Palaephatei. Quem quidem lectionum, coniecturarumque, et alienarum, et propriarum, apparatus ita exposuimus in notis Graeco textu subiectis, vt non, nisi idoneas lectiones, et coniecturas graues, in ordinem receperimus, omninoque de omni scripturae mutatione, etiam leuissima, studiosos admonuerimus, et sequuti simus praeceptum magni illius Lambini ¹¹ sane sapientissimum: cuius vtinam memores essent omnes nostrae aetatis scriptorum veterum editores, in primis Bataui! Is enim, Quin mihi hoc loco, inquit, risum mouit quorundam semidoctorum arrogantissimum supercilium, qui vbi mihi aliquid in quouis codice manuscr. repererunt a vulgata lectione discrepans, etiam absurdissimum, statim damnata lectione recepta, affirmant, atque adeo adiurant deos omnes, ita, vt in illo nescio quo codice

10. Vid. v. c. fab. 7. not. 16.

11. ad Cic. Offic. I, I. Atque in eadem fuisse sententia Camerarium, summum virum, satis loquuntur verba eius [ad Xen. Cyrop. 6. p. 345. Paris.] haec, Nequaquam sum facilis ad mutandum ea, quae edita

in veterum scriptis reperio, nisi diuersum in libris non editis alicubi inueniantur: quod tamen ipsum quoque notandum fere potius, quam inconsiderate reponendum, soleo existimare, sicubi non est mendum manifestum.

dice scriptum est, esse legendum. quod fieri non debet. tractandi enim sunt libri veteres cum iudicio. Atque ut non temere vulgata et recepta lectio damnanda est, etiamsi nonnulli codices veteres ab ea dissentiant: ita non est mordicus retinenda, neque pertinaciter defendenda, etiamsi eam libri veteres adiuuent, cum ratio et veritas reclamant. Et quanquam in ipsis animaduersionibus, more nostro, egimus maxime hoc, ut afferremus ea, quae ad Criticem spectare viderentur: tamen, et interpretati breuiter in iis sumus locos libelli non paucos, et laudauimus scriptores antiquos, etiam Latinos, e quorum libris vberior interpretatio cuiusque Fabulae, atque eius partium, peti posset. Hanc enim arbitramur vnain esse eandemque optimam Graeca discendi rationem, ut loci scriptorum Graecorum comparentur cum locis Latinorum maxime scriptorum, qui eandem rem persequuti sunt, ut verba Latina clara lucem affundant verbis Graecis obscuris. Neque vero Dresigii notulas retinuimus, quod eas magni admodum faciendas crederemus, sed ut conseruaretur memoria viri, qui extitisset auctor omnium editionum Palaephati Lipsiensium, quibus multi adhuc pueri, multi adulescentes, ingenui vsi essent non sine magna vtilitate sua. Caeterum non ignoramus, hunc libellum Palaephati e Graeco sermone in Francogallicum conuersum esse hoc ipso anno ab Carolo Godofredo Polierio, viro doctissimo, notisque illustratum¹²: sed frustra quaesiueramus exemplar huius versionis nouae in tabernis nostris librariis tum, quum haec scripsimus; adeo, ut nec dicere possimus, quae bona eius sint et ornamenta.

Sed nostra haec editio ut reperiretur quam vtilissima, non modo omnibus linguae Graecae tironibus, sed etiam magi-

12. Index libelli hic est, *Traité de Palaephate touchant les histoires incroyables, traduit du Grec, avec une préface*

et des notes du Traducteur, par M^s. Charles God. Polier. A Lausanne, chez J. Pierre Heubach 1771. 12.

magistris: Indicem verborum formularumque Graecarum, ante annos vndecim a nobis confectum, auximus, cum sic, vt verba et formulas reliquarum Fabularum adiecerimus, tum ita, vt verba locosque obscuriores paulo vberius illustraverimus, conferendis maxime Apollodori, Pausaniae, aliorumque, verbis cum Palaephati oratione. Nam Index verborum is, qui est in Bruneriano exemplo additus, neque plenus est, neque copiosus, quum verba Graeca fere nuda posita inueniantur; neque Latinis verbis explicata. Hunc Indicem mutilatum cognoui ab Paulo Patre, cuius editionis scio reperiri exemplaria duplicis generis. Aliis enim praefixa est Praefatio editoris, Ienae scripta anno quinto et octogesimo superioris saeculi: sed ab his abest Index verborum: qui tamen adiectus habetur iis exemplaribus, quae praemissam habent Praefationem, in eadem vrbe annis fere duobus post a Patre compositam, vna cum auctoritatibus iudiciisque, et veterum, et recentiorum, scriptorum de Palaephato eiusque libello: reliqua vtrumque exemplar habet communia, praeter Fragmenta illa duo, quae Tollius et Chronico Alexandrino primus adiecit. his enim videmus carere exemplaria prioris editionis.

Caeterum vt confirmarentur omnia, quae a nobis dicta sunt in Praefatione superioris editionis de ornamentis atque bonis, ab diligentia et ingenio Tollii, Bruneri, Galei, Patriisque, in hunc libellum profectis, non modo Fabricii disputatiunculam de Palaephato, sed etiam Praefationes reliquorum editorum omnium; Aldinae enim editioni deest haec dos; Praefationi nostrae subieciimus. Quam quidem diligentiam nostram vt speramus non ingratham fore tibi, humanissime lector¹³: ita nihil magis optamus, quam vt opera nostra omni magna adiumenta attulisse a te iudicemur omnibus, et magistris, et tironibus, ad intellegendum enarrandumque hunc libellum. Vale. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana m. Octobri A. C. MDCCCLXXI

FRATRI

¹³. Vid. Acta Eruditt. a. 102.—109. et a. 1771. m. A. 1761. m. Mart. Partic. 1. p. pril. p. 169.—174.

FRATRI AMANTISSIMO
ATQVE OPTIMO
IOH. ALB. CHRISTOPHORO FISCHERO

S. P. D

IOH. FRIDER. FISCHERVS

Vix reuerteram nuper, quae dei liberalitas est, Coburgo saluus in urbem nostram, gaudensque mecum tacitus de salute et incolumitate, cum venerandi Parentis, tum etiam tua, Frater carissime: quum Langenhemius, vir honestissimus, me appellaret, atque adeo flagitaret, ut satisfacerem, ac seruarem fidem, quam ego ipsi ante protectionem dedissem, adornaremque quam primum nouam Fabularum Palaephathi editionem. Id enim docebat esse eo magis necessarium, eoque minus dilationem pati, quod diuendita essent omnia Dresigianae editionis exemplaria, neque deessent tamen, a quibus ea cotidie auide desiderarentur, et vero poscerentur. Orta igitur non ita multo post Canicula, amico, uti nosti, et grato scholarum magistris, praesertim litterarum cupidis, fidere: accidit, ut, recognito Dresigiano exemplo, eas ego, quas vides notulas, summa alacritate conscriberem. Taedium enim, quo facile intellegis talem laborem non carere, leuabat, atque adeo amouebat, recens memoria et recordatio amoris et pietatis in me tuae, quam praesenti nuper tot tantisque documentis declarasses, ut leuis etiam et iucundus labor esse videretur. Iam vero quum diu voluissem nostrae monumentum pietatis ponere: placuit notulas illas in Palaephatum meas cum ipsis hominis Fabulis nomini tuo dicatas ad te mittere.

Neque tamen a me expectabis, Frater optime, ut ego tibi de Palaephato ipso, de aetate illius et patria, de libris, quos scripsit, exponam. Nam, cum parum certi ea de re

dici potest, tum Vossius et Fabricius ea, quae huc pertinere videantur, magna diligentia studioque congefferunt. Dicam potius breuiter, id quod tibi certo scio non ingratum fore, de editionibus libelli, quem putant vulgo esse, et recte quidem, particulam ¹ de quinque illis libris, quos eodem de argumento reliquisse legitur Palaephatus ², et de libris scriptis, quos reperi ab editoribus consultos esse. Numerantur autem editionum, quod sciam, omnino septem: de quibus singulis ita disseram, vt, quanti quaeque facienda sit, vnde fluxerit, appareat.

Atque prima quidem earum debetur Aldi Manutii diligentiae, qui sibi tot aliorum scriptorum vtriusque linguae exemplis accuratissime descriptis omnes litterarum bonarum amatores tantopere deuinxit. Is enim anno quinto saeculi sexti decimi has Palaephati reliquias, cum pluribus eiusdem generis libellis, vt Heraclide Pontico de Allegoriis Homericis, Phurnuto, siue Cornuto, de natura deorum, Aesopi et Gabriae fabellis, aliisque, in quibus Palaephatus quarto loco positus comparet ³, exire iussit, ea forma, quam vulgo folium minus appellant. Iam vt Fragmenta haec e Codice manu scripto, eodemque, quod facile appareat, apprimè bono, ducta sunt: ita eum ab Aldo non immutatum, sed, vt par est homineque liberali dignum, integrum relictum esse putamus. id quod, praeter orthographiam, loqui videntur lectiones aperte falsae, quas tamen in aliis postea libris calamo scriptis inuenerunt viri docti ⁴: ista, vt mirari satis non possim, Aldinum exemplum ab reliquis editoribus non modo non inspectum diligenter, sed lectiones etiam eius multis in locis corruptas misere, temereque neglectas, esse.

Quae

1. Vid. Scaliger ad Euseb. Chron. p. 49. a et p. 54. a: Neocorus ad Suidan p. 8. To. 3.

2. Vid. nota ad titulum O. pusculi. Vossius Commentarr. rhetorr. 4, 11. 5. p. 203. To. 2. Leid.: *Nam κατά μεταφοράν Thebani insidias, et incurfus*

hostiles, αλυσίματα vocant: quod occasionem praebuit fabulae de Sphinge, vt refert Palaephatus ἀρίων libro, qui ex quinque ab eo scriptis solus superest.

3. p. 82.—95.

4. Vid. ad fab. 38. not. 5.

Quae quidem omnia te, Frater carissime, lectio notarum nostrarum, spero, ita docebit, ut dubitare non possis.

Sed non ita multo post exitit, eodem saeculo, Basileae, Fabricio aliisque auctoribus, Iohannes Oporinus, qui eundem Palaephathi libellum iterum formulis describeret Graece, octonis, adiuncta etiam versione Latina Philippi Phasianini Bononienfis. Ipsum Oporini exemplum mihi quamvis diligenter in bibliothecis urbis nostrae quaerenti, tamen reperire nusquam contigit ⁶, ita, ut nec dicere liceat, expresseritne doctus ille librarius textum, ut vocant, Aldi integrum et immutatum, an alium ab eo ac diuersum. Hoc quidem Tollius videtur persuadere lectoribus voluisse; qua de re paulo inferius dicitur: illud vero credere nos iubet mos consuetudoque officinae Oporiniana, ex qua constat alia quoque Aldi exempla scriptorum veterum propemodum tota, neque re fere vlla mutata, nisi per incuriam, repetita prodixisse. Versionis autem Phasianini Latinae, quae, post primam editionem ⁷, aliquoties, et seorsim, et cum Hygini,

b 3

alio-

5. Ita, non Phasianus, vocatur etiam a Dau. Hoefchelio in Epistola, praemissa Horapollinis Hieroglyphicis, quae idem Phasianus Latine vertit.

6. Palaephathi libellus Graece et Latine videri possit prodixisse Basileae octonis ter. nam Bandinius Catal. bibl. Laurent. To. 2. p. 609. laudat exemplum Basil. A. C. CIOIOXLI.: Metarius in Ind. Annalium, et Fabricius bibl. Gr. 1, 21. 7. et 3, 14. A. C. CIOIOXLIII.: et in bibl. Acad. Leidensi est edit. Basil. A. C. CIOIOXLXIII. cum Cod. MS. collata. V. eius Catal. p. 269. b. Sed valde vereor, ut numeri annorum recte editi sint a viris doctis, et ne editio A. C. CIOIOXLIII.

sola extet. Certe exemplar eius est in bibliotheca Academiae Ultraiectinae: v. Catal. eius p. 133.: et nosmet ipsi postea nacti sumus huius ipsius exempli exemplar, uti in Praefatione editionis nostrae maioris tertiae ostendimus. In Codd. Vossianis sunt Phurnutus et Palaephatus edit. Bas. cum Codd. MSS. collati a Sylburgio. v. Catal. Codd. MSS. Angliae To. 2. p. 70. b n. 2726.

7. Bononiae A. C. CIOIOXV. 4. Laudatur a Metario Ind. Annall. p. 571. To. 2. Exemplaria eius fuerunt in biblioth. Vfenbachiana: v. Catal. eius P. 1. p. 173. n. 12.: et Bunaviana: v. Catal. eius p. 61. To. 1.

aliorumque, huiusmodi libellis, exiit ⁸, exemplum, quo
usus sum, descriptum fuit Parisiis in officina Christiani Vuel-
chellii anno secundo et quadagesimo saeculi sexti decimi
octonis. Ea Tollio se, Bruneroque, tam parum probauit,
vt vituperarint eam reprehenderintque acerrime: sed iniuria,
credo, et temere, multis certe quidem in locis. Magna enim
vitiourum pars extitisse existimanda est e mendis scripturae libri
Aldini, quem adhibuit Phasianinus in conficienda versione La-
tina, ita tamen, vt addiderit ipse interdum nonnulla ex inge-
nio ⁹: multa autem ita praeclare eundem, ita eleganter, inter-
pretatum esse cognoui, vt perfacile esset docere, Phasianinum
etiam maiori linguae Graecae scientia praeditum fuisse,
quam Tollium vituperatorem ¹⁰. Cuius quidem generis
locos, cum in notulis nostris, tum in Indice verborum, no-
tatos inuenies quosdam, Frater carissime.

Tollius enim, non Iacobus ille, sed Cornelius, anno superioris saeculi vndequinquagesimo versionem Fabularum Palaephati Latinam nouam composuit, et Amstelædami emisit ¹¹, a Brunero postea, Patteque, et Galeo, seruata. In textu Graeco constituendo, hunc enim versioni Latinae e regione posuit, ait se sequutum esse libros vulgatos. At quoniam sunt illi, mi Tolli? Certe non Aldinus. huius enim libri auctoritatem loco non vno sine causa et inconsiderate deseruisti ¹², neque tamen vsquam protulisti lectiones diuer-
sas

8. Vt Bafilaeae ex officina Héruglana A.C. ϸΙΘΙΟXXXV. fol.: v. Catal. bibl. Acad. Franequer. p. 197. n. 45.: A. C. ϸΙΘΙΟXL. fol.: exemplar huius editionis fuit in biblioth. Freitagii filii: A. C. ϸΙΘΙΟ XLVIII. fol.: cuius exempli exemplar nosmet ipsi posside- mus: v. Catal. biblioth. Acad. Leid. p. 269. b, et Acad. Vltrai. p. 87.: A. C. ϸΙΘΙΟLXX. fol.: cuius ipsius editionis exemplar est in bibliotheca nostra; Pa-

risiis A. C. c1010Lxxvii.8.:
v. Catal. biblioth. Joh. Mat-
thiae Gefneri p. 57. n. 925.

9. Vid. ad fab. 37. not. 3.
ad fab. 2. not. 13.

10. V. Prolusio nostra ter-
tia in Palaeph. Fabulas f. 8.

II. A. C. CIOIOCHXX
VIII. 12.

12. Vid. fab. 2. not. 2. 22.
fab. 13. not. 4. fab. 16. not. 1.
fab. 21. not. 23. fab. 30. not. 8.
fab. 51. not. 6.

fas exempli Aldini, quod omnino semel abs te commemorari memini. Itaque necesse est, spero, ut dicas, te expressisse Basileense exemplum, de quo viderint, quibus libri copia est: aut fateare, te, id quod valde vereor, verba lectoribus dedisse. Certe turbasti Palaephathi orationem multis in locis, et deprauasti. Neque tamen putare debes, suauissime Frater, me negare sic, atque diffiteri, velle, TOLLII bene meritum esse de hoc Fabularum libello. Nam primo animaduersiones adiecit, quae, et lucem afferrent locis Palaephathi obscuris, et quaererent diligenter de genuina veraque eorundem scriptura, et in medio ponerent coniecturas varias, vel proprias, vel alienas, in quibus multas bonas verasque esse animaduerti. Deinde, vel margines praetextuit, ut ita dicam, vel notas distinxit et illuminauit, lectionibus variantibus, excerptis e Codice manu scripto misere interpolato, quem acceperat ab Salinasio, summo viro, quique descriptus erat e Codice Londinensi, nescio quo. nam de Codice Palatino, qui alicubi ¹³ memoratur ab eodem Tollio, nihil comperire nobis licuit. Caeterum locupletauit idem vir doctus exemplum suum, non modo locis scriptorum veterum, qui in libris suis mentionem Palaephathi iniecerunt, sed etiam Fragmentis quibusdam e Chronico Constantinopolitano, siue Paschali: quae tamen alium Palaephathum videntur auctorem habere. Iam quis tam inepte cupidus erit, quin magna TOLLII hunc in libellum merita esse fateatur?

Atque si non maior, attamen aequae magna, laus doctrinae atque diligentiae debetur Martino Brunero, Ioh. Schefferi Socero, eruditissimo viro ¹⁴, qui Fabulas Palaephathi quatuordecim annis post Vpsalae exire denuo iussit, octonis. Quamquam enim ille, et Latinam versionem TOLLII, ut supra dixi, retinuit, et textum Graecum e TOLLIANO exemplo deriuandum, re fere nulla mutata, curauit: tamen caeterae editio-

b 4

nis

13. p. 168. h. e. ad fab. 6, 1.

14. Constituerat edere Moeridis Atticistae *Λέξαις*. v. Pier-
sonius Praefat. ad Moer. p. 2.
Notas eius in Palaephathi opus-

culum *eruditissimas* vocat Ioh. Columbus in notis ad incerti scriptoris Graeci fabulas aliquot Homericas de Ulyssis erroribus p. 99. 118. Leid.

nis dotes sunt eiusmodi, vt studiosi Graecae litteraturae ea non possint vlllo modo carere. Index quidem verborum Graecorum, quem adiecit Brunerus, neque plenus est, neque ita confectus, vt prouideri multum tironibus possit: sed primo notae sunt Tollerianae longe vberiores, illustrantque magis ac saepius Palaephathi verba non minus, quam res atque fabulas ipsas, etsi multa quoque iis contineri inepte incommodeque dicta scio, quae ad rem non pertineant: deinde, quod maximum est huius exempli ornamentum, late inde splendent, tanquam purissimae gemulae, lectiones variantes Codicis calamo scripti, quem secum in patriam Constantinopoli attulerat doctissimus ille Christianus Rauus. unde, et Rauianus a domino, et Constantinopolitanus a loco, quo emtus fuit, dicitur, multo sane melior et integrior Tolleriano, et contaminatus minus. Insunt enim ei multae propriae lectiones, eademque admodum elegantes et exquisitae ¹⁵. Sed Brunerum multis mihi indiciis constat, neque Aldinam editionem inspexisse, neque Basileensem: quae indicia quoniam in ipsis notis a me commemorata sunt, ea hic nihil attinet enumerare.

Atque ea ipsa exempla consulere omisit Paulus Pater, qui anno quinto et octogesimo eiusdem saeculi totam Brunerianam editionem repetendam curauit Francofurti octonis, ita tamen, vt capita singula diffecuerit in minores particulas, textum locis nonnullis ¹⁶ paulo aliter constituerit, notulasque, sed perpaucas illas, neque admodum necessarias, addiderit. In Praefatione enim ostendit, se multo melius fortasse mereri de Palaephato potuisse, si copiis bibliothecae Guelferbytae, et Augustanae, vti, per festinationem librarii, licuisset: sed Indicem rerum et verborum, quo se ditasse ait libellum, intellegit autem haud dubie Brunerianum, in meo quidem exemplari frustra quaesui ¹⁷.

Nemini

15. Vid. fab. 13. not. 3. fab. 32. not. 43. fab. 42. not. 5.

16. Vid. fab. 2. not. 9. fab. 8. not. 1. fab. 37. not. 3.

17. Vid. Praefatio editionis nostrae maioris secundae p. 18. Caeterum idem P. Pater A. C. MDCLXXXVII. 8. edidit

Fran-

Nemini autem maiores Palaephatus gr̃atias debere videtur, quam Thomae Galeo, qui eius libellum vna cum aliis eiusdem generis opusculis bis edidit: primo Cantabrigiae anno superioris saeculi primo et septuagesimo; quam editionem ignorauit, certe non laudauit, Pater: iterum annis septem decemque post Amstelaedami, octonis. In vtroque exemplo, et versio Latina, et textus Graecus Tollii, paucis locis exceptis ¹⁸, seruatus est, ita tamen, vt in Amstelaedamensi alias in quibusdam locis lectiones receptas viderim ¹⁹. Atque in prima quidem editione vsus est Codicibus manu scriptis quinque. Primum eorum, quem Cantabrigiensem vocat, quia erat pars bibliothecae Collegii S. Trinitatis illius vr̃bis ²⁰, qui tamen in Capite septimo et tricesimo desinebat, ipse inspexit: sed trium Oxoniensium Codicum ²¹ diuersitatem scripturae ab Eduardo Bernardo acceperat: quintum, et Arundelianum nominat, et Londinensem, e quo ait ductum fuisse Tollianum. At quum ab Tollio multa longe aliter laudata sint, nonnulla etiam prorsus praetermissa: Codices necesse est diuersi fuerint, aut dicatur, Tollianum exemplar fuisse admodum vitiose descriptum, aut denique ipse Tollius insimuletur magnae neglegentiae. In altero exemplo Galei accessit varietas trium aliorum Codicum: quorum primus dicitur Florentinus: secundus Gallicus: tertium videtur is, qui curauit editionem, suum ²² vocare: quem quidem nouimus fuisse Marcum Meibomium, amicum Galei ²³: a quo constat aliis quoque bonis ditata esse

b 5

Ethica

Francofurti *Doctrinas Morales ad Palaephati Incredibilia.*

18. Vid. fab. 13. not. 3. fab. 32. not. 43. fab. 46. not. 4.

19. Vid. fab. 30. not. 8. fab. 32. not. 51.

20. Vid. Catal. librorum MSS. Angliae To. 1. P. 3. p. 98. b n. 442. add. Montefalconius biblioth. Codd. MSS. nou. To. 1. p. 67c. A.

21. Vid. Catal. librorum MSS. Angliae To. 1. P. 1. p. 8. b n. 71. p. 14. a n. 125. p. 118. b. n. 2290. add. Montefalconius d. l. To. 1. p. 642. A.

22. Vid. ad fab. 2. not. 18. et 24.

23. Vid. Henr. Vuetstenii Praefat. ad Diogenis Laertii Vitas philosophorum.

Ethica illa opuscula, eodemque fere tempore editionem Vitae Diogenis Laërtii Amstelædamensem adornatam ²⁴. Horum igitur octo Codicum lectiones Galeus, vel ipse collocavit, vel a Meibomio collocari iussit, in marginibus, ita tamen, ut etiam alia haud contemnenda, sed fere e notis Tollii, Bruneriue, petita adiecerit *).

Post Patrem nemo, quod sciam, inuentus est in Germania, qui libellum Palaephati describendum formulis curaret, praeter Dresigium, magnae virum industriae, multaeque lectionis. Is quum Fabulas illas vellet a magistris scholarum enarrari tironibus: et versionem Latinam remouit; et paucas addidit notulas, ne doctoribus locum eriperet propriae doctrinae copias producendi et explicandi. At debebant tamen paulo plures animaduersiones adiici, in quibus causa redderetur, cur haec, non illa, lectio esset probata atque in ordinem recepta, et doceretur, quae auctoritate Codicum veterum niterentur, quaeque essent solius ingenii ope emendata. Immutauit enim Dresigius Tollianum textum permultis in locis, ita quidem, ut etiam coniecturas inculcarit: quae tamen fere omnes vanae sunt et inanes: de qua emendandi libidine memini iam Carpzouium, virum doctissimum, in Specimine Observationum Philologicarum in Palaephatum ²⁵ alicubi ²⁶ vehementer conqueri. Prima editio prodiiit ex officina Langenhemiana anno quinto et tricesimo huius saeculi, quam sex decemque annis post sequuta est altera, atque hanc nunc excipit tertia: de qua sic habeto, Frater optime.

Atque textum quidem Graecum, uti a Dresigio constitutus erat, totum retinui, vno, alteroque, loco excepto: idque propterea, ne impedirentur tironum ingenia, si qui magistri

super-

²⁴. Vid. Meibomii observatio ad Galei Opusculum mytholog. p. 752. Amstel.

*) Tho. Muncquerum edere voluisse Opusculum Palaephateum notis illustratum, ipse ostendere videtur in notis ad

Anton. Lib. metamorph. c. 41. p. 283. Verh.

²⁵. Prodiit Lipsiae A. C. MDCCCXXXIII. 8.: sed pertinet tantum ad Prooemium, atque Fabulam primam.

²⁶. p. 6.

superioribus forte editionibus Dresigianis vterentur: qui, et tirones, quam utile sit, si eadem exempla sequantur in legendis et enarrandis scriptoribus antiquis, expertus scio. Deinde excerpti lectiones varias, cum e Codicibus calamo scriptis, quos ante laudavi, tum ex editis libris, etiam ex Corpore Paroemiarum Apostolii ²⁷, ut appareret, unde lectio textus quaeque venisset: ostendique fere, quid mihi de quaque videretur. Multas praeterea virorum doctorum coniecturas collegi, et sententiam de iis modeste, et fere ita, dixi, ut lectionem vulgatam non sollicitandam esse docerem. Sed quemadmodum haec, magistrorum causa, adiecta sunt: ita, ut tironum, vel imbecillitati, vel inopiae, consulere, confeci Indicem, in quo, non solum ea essent expedita, in quibus haerere imperiti possent, sed omnia etiam vocabula, omnes formulae, continerentur, ut omnes, etiam ignarissimi Graecarum litterarum, possent libellum, sine maiorum Lexicorum ope, legere. Pertinet autem Index ille tantum ad Capita quadraginta et sex priora. reliqua enim cum Galeo, et Isaaco Casaubono ²⁸, putabamus ab alio potius quouis, quam a Palaephato, profecta esse.

Neque vero dubito, quin tu sis, Frater carissime, operam hanc et laborem meum tua sententia ultro probaturus, non modo propterea, quia delectaris hoc litterarum genere, quum scias, viam muniri aditumque ad arcem verae doctrinae scientia Graeci sermonis, sed etiam ea de causa, quoniam volui hunc libellum extare monumentum, quo memoria pietatis nostrae amorisque fraterni posteris quoque proderetur. Ego enim nunquam desistam te amare ac colere, quoad vivam, deumque rogare, ut te maximis omnis generis bonis commodisque cumulet atque adaugeat, vitaque uti quam longissima iubeat. Vale, venerandumque Parentem nostrum verbis meis etiam atque etiam saluta. Scripsi Lipsiae Kalendis Sextilibus A. C. CID ID CCLX

L. B

²⁷. Vid. Andreae Schotti Prouerbiis p. 172.
epistola Graeca ad Pe. Pantonium, praemissa Diogeniani

²⁸. Vid. fab. 47. not. *.



L. B

3

M. SEGIM. FRIDER. DRESIGIVS

SCHOL. THOM. CONR

Palaeophatum, quem ab omnibus legendum censuit Ioh. Henr. Boeclerus, iudex hac in causa sapientissimus, typis exscribendum iterum curavi: quem ne nulla praefatione prosequerem in lucem denuo prodeuntem, non more magis, quam ratione, sum adductus. Codicibus, quibus nostrae aetatis se iactant ingenia, manu exaratis carui, atque eo lubentius carui, quo plus negotii in eruenda Auctoris sententia vera facessere iam videtur lectionum silua a Cornelio Tollo, Martino Brunero, et Thoma Gale, ex diuersis manu scriptis voluminibus collecta. Itaque satis habui, laudatissimorum virorum editiones publico datas, qua par est, accuratione inter se conferre: nec parum me eorundem diligentia profecisse, ipsa libelli lectio docebit. Neque enim solum in omnibus fere capitibus scripturam codicum ab illis exhibitam vulgatae adhuc lectioni praetuli, verum etiam ex eodem fonte coniecturas, suo quasque loco in annotatiunculis subiectis diligentissime indicatas, plerumque hausi. Atque id quidem non, credo, mirabuntur illi, qui cogitauerint, libellum hunc elegantissimum in manus tradi adolescentibus ad Graecam linguam et veterum fabularum scientiam informandis. Quibus prout optima ad imitandum, et ad percipiendum non difficillima, semper duxi proponenda, ita malui manu scriptorum librorum lectionem, si quando menti Auctoris esset accommodatior, ingenio nonnunquam adiutam recipere, quam vulgarem sistere multis spinis oblitam

fitam et quasi falebrosam. Interpretationem, quam vulgo versionem vocant, Latinam data opera, summorum viro-
rum exemplo, penitus omisi, ne praeparationi sedulae assiduaeque repetitioni obicem, quod aiunt, ponerem. Huc accedit, quod, quas habemus Palaephathi interpretationes, Phasinianam et Tollianam, quas videre mihi contigit, a sententia Auctoris non paucis in locis discedere observavi. Quocirca satius esse duxi, scriptorem, nulla addita interpretatione, cum iuuenibus communicare, quam noua conficienda, id quod facillimum fuisset, et molem libelli sine vlla necessitate, et pretium, augere. Atque haec ipsa etiam causa fuit, quamobrem in observationibus adiectis non copiosius explanata fuerit mutationis ratio, quippe quae rerum peritis non adeo difficilis esset intellectu. Vale, L. B., et, si ita videbitur, ingenuo favore hanc qualemcunque operam comproba: sin minus, modesto dissensu calcar adde ad maiora contendenti. Dabam Lipsiae ipsis Idibus Iuniis A.O.R. MDCCXXXV



E X C E R P T A

E P R A E F A T

T H O. G A L E I

P R A E M I S S A E D I T I O N I O P V S C C

M Y T H O L O G G. C A N T A B R I G

In his omnibus excudendis vulgata antehac exemplaria preesse secuti sumus: menda in textu, excepto vno et alio minoris momenti, dereliquimus: codicum quoque MSS. deliria non dissimulauimus. nam in his expediendis tu forte L. felicius versaberis. Ad Palaephatum recensendum libros scriptos quinque adscini. Primus mihi ad manum erat, in Bibliotheca Coll. S. Trinitatis Cantabrigiae: vnde et eum quoque deprompsi, quo vsus sum in Theophrasto: illum Codicem significaui his litteris, *Cant.* Trium Oxoniensium variantes lectiones ad me misit vir omni eruditione et humanitate excellens Ed. Bernardus, Coll. D. Ioan. Ox. Socius: litteris α , β , γ , hos distinxi. Ex Tollii Annotationibus quintum habes: is erat descriptus ex Bibliotheca Arundeliana, Londini: nobis *Arun.* et *Lond.* breuitatis gr. appellatur.



LECTORI

LECTORI BENEVOLO

S. P. D

PAVLVS PATER

Elegantissimum hoc Palaephati fragmentum Aldus Manutius, typographus eruditissimus et diligentissimus, Venetiis primum, iunctis aliis quibusdam huius commatis opusculis, Graeco edidit idiomate, anno 1505. in Fol. Post decennii decursum, Philippus Phasinianus, Bononiensis, qualemcunque versionem huius adornauit, quae Basileae, et alibi, cum aliorum Mythologorum scriptis, diuersis formis, saepius recusa fuit. Idem fragmentum Graecum, cum interpretatione Latina, eaque meliori, vna et Notis quibusdam Criticis, Cl. Vir, Cornelius Tollius, Graecae Ling. Prof. in Acad. Geldrica, anno 1649. in forma duodecima, Amstelodami edidit. Vidit hoc celeberrimus vir, Martinus Brunnerus, Graecarum tum litterarum apud Vpsal. Prof. inclytus, et eundem textum Graecum, retenta Cl. Tollii versione, variis Annotationibus, in gratiam studiosae Iuuentutis, Vpsaliae anno 1663. in octaua, vt aiunt, forma, mox recudi fecerat. Potissima vero cura fuit Cl. Brunnero, nunc in coelis triumphanti, Graecum textum, ex Codice quodam MS., quem Christianus Rauus, insignis ille Philologus, et de linguis, cum primis orientalibus, praeclarissime meritis, Constantinopoli secum attulerat, emendatiorem nobis tradere: id quod ex allegatione huius crebra vltro patescit. Quamquam ipse etiam Cl. Tollius variantibus suis lectionibus id iam praestare conatus fuerit; vtut eius plerumque farinae esse deprehendantur, quae vel in vocibus plane synonymis, aut particulis mere expletuiis, ne dicam manifestis sphalmatibus,

tibus, locum habeant; sola criseos, aut Grammatices, analogia facile restituendae. Quas tamen, cum Cl. Brunnero, potiori ex parte, in noua etiam hac editione, ne Iuuentus habeat, quod desideret, et retinuimus, et non paucas alias ipsi adiecimus; adiecturi forte rectiora, ex codicibus bibliothecae Guelpherbytanae, vel Augustanae, modo nobis typographus moram aliquam indulgisset. Versionem nouam adornare animus non fuit, sed Cl. Tollii, sic satis bonam, retinendam duximus; rati, nulla alia ratione melius docentes discipulis suis *παρεμνεύας* vitia, si quae occurrunt, ostendere posse, quam si obuia haec exempla crebro adhibeant, et genuinam interpretandi rationem, si modo id fieri possit, demonstrent. Nam constat alias, ex Graecis bonis Latina plerumque mala fieri, non secus, ac Cicadae, quae in agro quidem Locrensi satis argutae sunt, eadem tamen, si transferantur vltra fluuium in Latium, continuo mutescunt. Doctrinas quod attinet Morales, ex singulis fabulis erutas, rebus, tum sacris, tum politicis, cum primis accommodauimus. Index quoque Graecus, non modo dictiones pleraeque continet, sed et locutiones, seu phrasas, elegantiores in gratiam tironum huius linguae indice quasi digito ostendit. Haec sunt, L. B., quae obiter monere volui: cetera ex praefatione, ipsis Moralibus Doctrinis praefixa, haurire poteris. Vale. Scr. Ienae. d. v. April. Anno M. DC. LXXXV

LECTOR BENEVOLE

Elegantissimum, quem vides, Palaephati libellum, Aldus Manutius, eruditissimus et diligentissimus ille typographus, Venetiis primus, cum aliis huius commatis opusculis, initio superioris seculi, Graeco idiomate, edidit. Paulo post, Philippus Phasianinus, Bononiensis, qualemqualem versionem Latinam adornauit, quae saepius, diuersis formis, recusa fuit. Nostra aetate, Cl. vir, Cornelius Tollius, in Academia Gelliana Graecarum literarum Prof. Publ., concinnam Auctoris nostri versionem, velut alter Politianus, erudita cum industria, perfecit. Non multis abhinc annis Celeberrimus vir, Martinus Brunnerus, in Academia Vpsaliensi Graecae linguae Professor inclytus, dum publice hunc Auctorem iuventuti Academicæ interpretaretur, non ineruditis observationibus, recudi fecerat. Potissima vero cura fuit Cl. Brunnero, nunc in coelis triumphanti, Graecum textum, ex Codice MS., quem Christianus Rauus, insignis ille Philologus, Constantinopoli secum attulerat, emendatiorem reddere. quod ipsum etiam laudatus Tollius ex Codice Salmasiano praestare nitebatur. Optandum vero, ut emendationes illae, quae variantes lectiones audiunt, semper aliquid in recessu haberent. nam saepe in verbis plane synonymis, particulis mere expletivis, ne dicam manifestis sphalmatibus, sola criseos, aut Grammatices, analogia facile restituendis, Criticos nimio opere occupatos esse cernimus. Ne tamen habeant, quod in nostra hac editione desiderent, singulas fere retinui-
mus, et non paucas alias ipsi adiecimus. Versionem nouam concinnare, nec instituti ratio suadet, nec res ipsa postulat. Quare Cl. Tollii sic satis bonam, retinendam esse duximus;
rati,

rati, nulla ratione melius docentes *παρερμηνείας* vitia, si quae occurrant, discipulis suis ostendere posse, quam si obvia haec exempla crebro adhibeant, et genuinam interpretandi rationem, si modo fieri potest, demonstrent. nam constat alias, ex Graecis bonis Latina plerumque mala fieri; non secus, ac Cicadae, quae in agro quidem Locrensi satis argutae sunt, delatae vero ultra flumen in Latium, continuo mutescunt. Haec sunt, Lector beneuole, quae obiter monere volui: cetera ex praefatione ipsis Moralibus Doctrinis praefixa haurire poteris. Vale. Scribeb. Ienae, ex Collegio Paulino, ipsa die Petro et Paulo sacra MDCLXXXVI

BENE

BENEVOLO LECTORI

S
MARTINVS BRUNNERVS

Ex quo datum mihi negotium fuit, publice priuatimque ea curare, quae ad iuuentutis patriae facilem in Graecis literis profectum pertinent: quoniam, in tanta aetatis varietate et studiorum, non vnum scriptorum genus commendari omnibus ex aequo potuit, coepit inter alios et Palaephatus placere: quod dictione non ineleganti, aut difficili, argumentum explicet, cuius notitia, et istam in primis aetatem delectat, et liberalem eruditionem non parum ornat. Illi scriptori, etiam post Aldi Manutii, et Philippi Pafianini, curas, laboranti ab iniuria temporis, V. Cl., Cornelius Tollius, erudita cum industria salutarem admouerat manum. Et suum propositum, si quid recte iudico, ille quidem non infeliciter peregit: mihi vero, quem peculiari uti oportuit instituto, attendentem, pro praesenti rerum habitu, ad res rationesque iuuentutis nostrae, praeterea aliquid aliud agendum fuit. Versionem aliam adornare, nec tempus permisit, nec res magnopere postulare videbatur. Itaque Tollianam retinui. Maior vero textus Graeci cura fuit, quem explicare voce, et simul auctorem in notitiam iuuentutis nostrae prouehere, non vno nomine consultum duxi. Supererat, et superest etiamnum; neque enim dissimulo; in quo σοφισμοῖς uti, et facultatem illam κριτικὴν exercere, subactum his literis ingenium potest. Qua in re cum et meas qualescunque me experiri vires, nouamque huius auctoris editionem parare, intelligeret vir bonarum literarum, in primis orientalium, scientia clarissimus, M. Christianus Rauius, hoc tempore Regiae huius Academiae Rector: quae eius est in literarum studiis promouendis ornandisque προθυμία,

Codi-

Codicem MS. antiquum satis, quem ante hos viginti annos ipse secum Constantinopoli attulerat, sponte mihi obtulit commodauitque. Qui liber quoniam mihi in hac editione non parum profuit, et coniecturas Tollii, measque, saepe confirmauit: interdum et ea prorsus plana reddidit, quae crucem figere legentibus poterant: facile intellegitur, meruisse clarissimum virum, ut beneuolentiae eius, non ego tantum meo, sed et mecum suo, ipsiusque adeo Palaephati, nomine studiosa iuuentus gratias agat. Porro consilium quidem ab initio fuit, de ipsis rebus, quas haece fabularum figmentis inuoluere sapiens voluit antiquitas, aliquid consignare: sed id breuissime tantum, et fere non nisi indicatis auctorum, qui ista explicuere, locis. At cum cogitarem, nec omnibus, nec omni loco, plurium auctorum esse copiam: postea paulo prolixius quaedam eorum, quae ad interpretationem fabularum pertinent, addidi. Quae tamen ipsa, cum iam committenda praelo essent, necessarium fuit multis modis breuiora facere, et nonnulla omittere, quibus deinceps, nec in notis, nec in addendis, locus esse potuit. Vnde factum, ut plura quidem adiecerim, quam pro primo instituto, pauciora tamen, quam pro vbertate materiae; praesertim quando non temere typographus monuit, tempori seruiendum esse, et commoditati illorum, quos hoc libro uti velle intellexerat. Itaque qui existimabunt, haec plenius elaborari debuisse; potuisse, ipse sat scio: benignius, spero, de re tota iudicabunt, quando intellegent, pluribus ex causis scriptionis huius penes me integrum non fuisse arbitrium: et operae sine pretio infiniti rem esse laboris, in tanta libertate interpretationum, et varietate, omnia ad vnguem exigere. Sciebam, multis locis alios alia tradere: sed, vel ad elegantiores fabulae usum, et ἐπιμύδια, respexi, quae inter explicandum vtilius, quam caetera, iuuentuti proponi posse, existimabam: vel ob causas alias receptam mythologorum explicationem secutus sum, etiam in iis, in quibus satis constabat alia ab aliis dici, et porro dici posse. Praeterea iunioribus me in primis scripsisse, et ipse non semel pro-

professus sum, et res ipsa subinde loquitur; non tantum in notis, sed vel maxime in Indice Graeco: cuius tanta cum simplicitate concinnandi plenum taedii et molestiae laborem nunquam suscepissem, nisi stetisset sententia, vel sic commodis seruire adolescentiae: quam ut hoc Graeco Indice, quantum hoc tempore per rationes typographi nostri licuit, iuuare volui in iis, quae ad dictionem pertinent: ita et Index alter Latinus, qui res spectat, locorum, ut appellant, communium collectioni seruire potest; ad quam auditoribus meis, et hortatu, et exemplo, praeire soleo: quando constat, sine illa lectionem auctorum haudquaquam, quem debebat, legentibus afferre fructum. Scio, fore non paucos, qui non tantum haec mea; id quod facilius fero; rigidius censeant, leuiaque ducant, nec satis digna, quae publicam aspiciant lucem: sed, et argumentum ipsum, totamque doctrinam mythicam, inter inutiles nugas ponant. Delectari enim se, non his spumis, sed solido cibo; poterant forsau duro et agresti dicere; petito ex reali, ut loqui amant, Philosophia, Scholasticorum puta, et similium: imo, et eorum, qui Scholasticis haud paulo horridiores sunt, et, ut tempore, ita et doctrina, multum inferiores. Ego sicut bonas literas in vniuersum omnes, earumque doctores, in pretio habeo, atque adeo hos ipsos Scholasticos nequaquam contemno: certus, sub barbarie illa sermonis, in quam eos coniecit infelicitas temporum, profundam saepe latere eruditionem, stupendorumque specimina ingeniorum: ita et quosdam eorum, qui solam illam solidiorem, ut illis quidem appellatur, sapientiam commendant, ea in primis operosissime tractare, et ab aliis tractari velle, pro comperto habeo, quae in Scholasticis, aliisque, praeteriisse satius esset. Et affirmare ausim, ratione fretus, et principum in re literaria virorum exemplo, a verae eruditionis possessione et laude longius, quam putant ipsi, abesse eos, qui in hoc argumento, et huic similibus aliis, nihil esse existimant eruditionis bonae: nec vllum iis statuunt pretium. Aliter sane sentit eruditus orbis, aliter literarum tractat studia; ideoque

et cum splendore atque gloria: ad quam, haud scio, quemadmodum ascendere possint, qui consuetudinem aliarum gentium, quae ex felici literarum cultu nomen sibi, et famam, pepererunt, vel contemnunt, vel ignorant. Atque ut seorsim de philosophia mythica dicam, cum in ea sub ingeniosis amoenisque integumentis tot comprehendantur rerum gestarum historiae, doctrina lateat naturae et morum: item theologia, siue religio, mores et instituta, veterum, et id genus alia: turpe profecto fuerit elegantioris studio eruditionis, eius rudem prorsus atque ignarum esse. Habuerunt hoc cum erudita antiquitate commune nostri in hoc septentrione maiores, ut res a se fortiter gestas, poëseos, pro capto seculi, saepe etiam fabularum, artificio, atque aenigmatum, exornatas, ad memoriam posteritatis felicius se transmittere posse sperarent. Quae si integra, cum antiquorum gentis nostrae vatum interpretatione, ad nos peruenissent, historiae, et gloriae, orbis Arctoi mirum, quantum accessisset: ut hoc inuento iam non sola Graecia celebris esset. Sed apud eruditos iam pridem dicta causa est: apud semidoctos, et non idoneos huius rei iudices, ne dicenda quidem. Permittendi illi arbitrio, id est, errori suo: et potius mens illis precanda melior, quam ut nihil profutura aduersum eos disputatione se quisquam fatiget. Quod si in nobis, in coetu florentissimorum huius Academiae iuuenum aliqui erunt; spero non esse; qui itidem de hac bonae eruditionis parte sinistre iudicabunt: quanquam eos ratio refellat, et communis vere eruditorum consensus: nescio tamen, quem hoc tempore illis dem, qui errorem opportunius corrigit, quam R. CL. Q. virum, nec de me minus, quam de illis, optime meritum, M. Laurentium Fornelium, Poëseos apud nos Professorem eximium: qui in obuio illis et erudito opere Poëticae tripartitae eleganter ostendit, poëtas meliora docere et pulchriora, atque adeo plerasque omnes sapientiae humanae partes complexos esse. Imo Mythicen, si usum vitae potius, quam ordinem discendi, respicias, vel sola satis commendat doctrina et institutio morum. Hanc enim
illa

illa saepe, et tutius, et suavius, peragit, adeoque et efficacius atque felicius, quam altera illa simplex et aperta docendi, moreque corrigendi, ratio. Quod omnis generis scriptores, et inter Christianos Patres quoque, alique non postremi ordinis, agnouerunt. Atque haec quidem ita se habent. Erat vero et huius loci, alii occurrere illorum hominum opinioni, qua existimant, se solos ingenio digna tractare: eos autem, qui bonis auctoribus emendandis illustrandisque operam impendunt, tantum circa vocabula haerere, et inutiles quasdam veteris memoriae minutias. Non est, inquam, id ab hoc loco alienum; superuacuum tamen, postquam abunde id iam olim praestiterunt ipsi eruditionis principes. Equidem iure negari non potest, et forte nulli minus, quam mihi, negare libet, quin utilem plane humano generi operam praestent, qui rationi in rebus obuiam, sparsamque per omne scriptorum genus, veritatem colligunt, et ordine in scientiis artibusque usitato pertractant. At ex eo inferri non debebat, inane esse illorum studium, qui restituendis nitori suo bonis auctoribus incumbunt: quos aequius erat custodes salutare praeclari illius thesauri, quem in tot monumentis ingeniorum veneranda nobis reliquit antiquitas. Et quid attinet ea, quorum latius se porrigit usus, commemorare, quando et in caeteris, quae minoris videri possunt momenti, tanta sollicitudo fuit et diligentia veterum; a quibus merito, et proficiendi exemplum capimus, et sapiendi. Grauiissimus scriptor, Thucydides, quanquam salutem Graeciae, et literarum, non in eo sitam esse intelligeret, vtrum Hipparchus ab Harmodio et Aristogitone obtruncatus, rex fuerit, an regis frater: vtrum regum Spartanorum vterque seorsim vno, an duobus, calculis gemini ius suffragii exercuerit: vtrum Pitane apud Lacedaemonios militaris cohors fuerit, an aliud quippiam: quia tamen ista ignorabant Graeci, ita de illis exclamare non dubitauit sub finem proemii lib 1. Οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοίμα μᾶλλον τρέπονται *Adeo* *segnis apud multos est veritatis inuestigatio, et ad ea, quae*

obuia sunt, magis se conuertunt. Et per haec quidem in praesens, quando ita necesse fuit, sufficiet iuuentutis animos, vel praemuniisse, vel confirmasse; ne forte in hac studiorum parte ad duos illos impingat scopulos, ad quos iam olim alios naufragium eruditionis fecisse videmus. Ad me quod attinet, sicut meo me pede metior, non ignarus, quam, et multa nesciamus omnes, et multi haec me sciant melius: ita ab aliis veriora doceri paratus sum: sed, qui esse mos bonorum debet, citra acerbitem et contumeliam. Quod ipsum vt non possum non ab illis sperare, qui non tantum literarum, sed etiam virtutis, esse volent studiosi: ita si diuersum faciant alii, erit id apud cordatos omnes, non mihi, sed illis, opprobrio. Et ego quidem mei securus ista non moror. Si quis tamen in mustaceo laureolam quaerere velit, etiam atque etiam videat, ne, non mihi, sed communi humanitati, conuicium faciat; cuius vna inter alias est calamitas, non in omnibus inuenire verum, nec placere omnibus, aut satisfacere, posse. Quod per commiserationem, mutuam veniam, non per obliuionem sortis nostrae, exprobrationem, merebatur. Postremo eos, qui haec legere dignabuntur, rogo, vt ante lectionem libri operarum errata emendent, quae ad calcem ordine notata inuenient: deinde vt secundum numeros Addendis praefixos, ad Notas in margine, addito signo, ea notent loca, vbi Addenda illa Notis interfereere continua cuiusque, vel capitis, vel annotationis, lectio debet. Tantum erat. Beneuolo lectori mea studia, et mecum illum diuinae gratiae, commendo.

* * * * *

LECTORI

CORN. TOLLIVS

En nouus hic tibi Palaephatus, Lector beneuole. Qui pri-
 nus eum auctorem publico dedit, fuit Aldus Manutius,
 ac deinde Basileae Philippus Phasianus, cum interpretatione
 sua, impropria dicam, an inepta; item Phornuto, *περὶ τῆς*
Ἑλληνικῆς Θεολογίας, vt verus est titulus, non vt vulgo,
περὶ τῆς τῶν Θεῶν φύσεως, et libris tribus Iuliani Aurelia-
 ni Lessignienſis de cognominibus deorum gentilium. Cum
 in haec opuscula incidissem, prima statim fronte sic arrisit
 Palaephatus, vt plane dignus videretur, qui opella mea etiam
 in his terris reuiuisceret. Animum in primis confirmauit
 vir illustrissimus et incomparabilis, Claudius Salmasius; qui
 vtriusque scriptoris, et Palaephati, et Phornuti, suppedita-
 vit mihi ex veteri libro Londinensi *ἀπόγραφο*. Huius
 auxilio plurima loca correxi; variantes lectiones, quae le-
 uiores videbantur, cuius capiti subieci; textum autem reti-
 nuī vulgarem, quod; neque ipse probarem, neque ab aliis
 probari viderem, consuetudinem illorum, qui auctorum
 verba pro arbitrio suo saepe temere immutata orbi obtru-
 dunt. Phornutum quoque a me recensitum propediem pro-
 diturum foras, polliceor; nec non Historicum Byzantinum,
 ineditum hactenus, Cinnamum de rebus gestis Imperatorum
 Ioannis, et filii eius, Manuelis Comneni. Tu modo faue
 meis conatibus, ac iudicium praesta obrectatione et male-
 uolentia liberatum, candide Lector et beneuole.



A D

AMPLISS. ANTISTITEM ET D. D
RICARDVM NORVVICENSEM

EPISCOPVM ANGLICVM DIGNISS

PHILIPPI PHASIANINI BONONIENSIS

EPISTOLA *

Caium Laelium, virum sapientem, dicere solitum fuisse accepimus, nihil virtute, quae cum probitate coniuncta sit, amabilius esse, nihilque, quod magis homines ad diligendum alliciat. Quod quidem sapientis viri dictum quam verissimum esse appareat, cum saepe alias, tum hoc potissimum tempore, evidenti argumento perspexi. Nam cum celeberrimi nominis tui fama, illustrior etiam, quam Bononia recedens olim reliqueris, ab ultimis Britanniae sedibus ad nos huc iam dudum pervenerit, quae te verae virtutis ac probitatis exemplar atque imaginem quandam, quam omnes venerentur, esse praedicat: admiratione huius tuae virtutis rarissimae, ac morum, inflammatus, vnum prae caeteris te mihi maximopere colendum atque observandum esse proposui, atque adeo, nulla licet tecum necessitudine coniunctus, nullae amicitiae vinculo adstrictus, sim, animo tamen meo ita plane iam infedisti, ut sub oculis absens absentem te crebro reuocare, et nulla de re libentius, quam de te, cogitare soleam: quem tua ex humanitate, religione, doctri-

*) Hanc epistolam Phasiani- rauimus ex exemplo Basil. A
ni describendam ab operis cu- C. CIJIOXLIII. 8.

doctrina, liberalitate, atque incredibili sapientia magis, quam ex dignitate, honoribus, atque diuitiis, tuis pendere consueui. Illis etenim animi dotibus, ac naturae bonis, exornatus, in patria tua, atque apud omnes, ita viges atque excellis, ut mortales reliquos longissime praestes, nec grauitate senibus, prudentia, et ingenio, aequalibus concedas. Quae bona tot tantaque simul omnibus admirationem maximam in te praebent. O si me aliquis istic forte deus semel sistat, ut admirari, inspicere, contemplarique, valeam! Diuitiis, medius fidius, Crassum me superare, atque oculis meis multum debere, profitear. Quod quoniam mihi interdictum denegatumque video: fores amicitiae tuae, quod solum mihi relictum est, tamdiu pulsare non desinam, quoad inter viros, quos supremæ fortunæ amicos habes, me quoque abs te numeratum fuisse cognouero. Atque interim, ut desiderium hoc meum ardentissimum, quanto melius possim, leniam, in Gulielmi Stylligtonis, Archidiaconi Subderiensis Anglici, viri probi atque honesti, sinu, ut hæcenus feci, conquiescam: quando is mecum arctissimo necessitudinis vinculo coniunctus, ita de te, quem summa pietate, atque incredibili obseruantia, colit, multa iucunde narrare solet, ut nihil ab eo post publicas, priuatasque, lectiones, quas de me cum morigeratissimis eiusdem nationis scholasticis audit, libentius auscultare soleam, quam cum de tua graui prudentia, maximo rerum usu, atque suprema gloria, differere occoeperit. Ita enim fit, ut te coram oblato oculis meis ultro obuersari, non sine summa animi voluptate, videre videar. Ad quem tamen, ut verus mihi aliquando aditus pateat, salutationem primam hanc tibi cum optima animi in te mei significatione, ac sincera voluntate, impartiri, et eodem prope ritu, quo Persarum reges cum donis salutabantur, munusculum hoc ad te mittere volui: quod non auri neque argenti honore, cuius vobis usus abunde suppetit, ornatum, sed in literaria officina sub ingenii incude elaboratum, in meae erga te fidei atque obseruantiae verum pignus habebis. Palaephathi scilicet libellum
de

de Non credendis fabulosis narrationibus, quem e Graeco in Latinum sermonem a me translatus, sub auspicio nomineque tuo in publicum prodire non ab re duxi: ut qui non nescius sum, quod gratiora tibi literaria huiusmodi dona esse soleant, quam, aut auri, vel argenti, vis infinita, pro ea, quod in literis tu olim, cum in Gymnasio nostro Bononiensi, tum alibi, altius caput extulisti, ut te bonarum disciplinarum, ac eruditorum hominum, mirus amor teneat, ac pulchre illud in te conspiciatur, quod dubium quibusdam videri posset, plusne scilicet honoris dignitati tuae literae, an literis dignitas adiecerit. Quamobrem munus hoc nostrum literarium libens, et vultu, quo te decet, hoc est, iucundo hilarique, accipias, rogo: atque illud, cum a sacris occupationibus tuis paululum feriatu fueris, et animum, quod sapientes viri faciunt, aliquantulum remittere volueris, in manus sumito. Eius namque lectionem, neque iniucundam, neque ingratam, tibi futuram esse spero: quum et haec otii delectationisque gratia a Palaephato ipso scripta fuisse appareat: veluti et nobis quoque solatii causa Latinitate donata sunt. Cum enim praeteritis Saturnalibus a lectionibus publicis Gymnasium refrixisset, inque musaeo nostro Alcedonia essent: nactus otium, quod mihi seriae literariae, et senatoria munera, indulgissent, quamnam rem inter urbis nostrae cantus et tripudia, quae passim interstrepbant, solatium et ipse aliquod quaerens, me libentius oblectarem, quam in Palaephati libello, non satis occurrebat. Nam cum ex eius lectione incredibilem voluptatem paulo ante cepissem; hanc eandem Latinis, qui Graecarum literarum rudes essent, inuidere, piaculum duxi: eoque magis, quod proximo anno cum in auspiciis nostris, quae lectionibus publicis ex instituto nostro quotannis praemittere consueuimus, vitam mortalium ab infantiae exortu ad hominis usque occasum fabularum sensibus allegoricis describeremus, mentioque Palaephati aliquibus in locis a me facta esset, eum opera mea Latine loquentem auditoribus breui me daturum esse pollicitus sum. Itaque, cum ut promissum

starem,

starem, tum etiam, vt aliquem ex Graecis lucubrationibus nostris fructum studiosi iuuenes perciperent, feci: atque adeo periculum quoque aliquod verius de me facturus, num aliquantulum in Graecis adhuc literis promouerim, quam quod inanem gloriam, ex hac re aucupari studeam, ad hoc munus descendi. Ad quod si me aptum, idoneumque, videro, sique labores meos tibi, studiosisque hominibus, non ingratos, neque iniucundos, fuisse, cognouero: ad alia quaedam gratiora, quae prae manibus sunt, edenda me accingam, vt praemissos hos veluti rorarios, ac velites, grauis armatura, et cataphracti equi, subsequantur. Vale.

PHILIPPVS PHASINIANVS
LECTORI *

Palaephathi huius a nobis de Graeco in Latinum idioma translati, praeter Eusebium, auctorem prouerbiorum Graecorum, et caeteros, mentionem et a Suida in Collectaneis ita fieri obseruauimus, Παλαίφατος Πάριος, ἡ Πριηνεύς, γεγονώς κατὰ Ἀρταξέρξην, ἀπίστων βιβλία ἐτινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθήναιον ἀναφέρεισι, hoc est, *Palaephatus Parius, sive Prienensis, tempore Artaxerxis fuit, Incredibilium libros quinque scripsit: quidam tamen haec in Athenaeum referunt.* Celebratur quoque alius quidam nomine Palaephatus Abydenus, historicus, temporibus Alexandri Magni, qui inter caetera solutiones interpretationesque fabularum scripsisse traditur. Item et tertius quidam eiusdem nominis poeta Athenis Palaephatus fuit, qui de situ orbis, et de contentione Mineruae ac Neptuni, scripsit, ut in monumentis Graecorum habetur: de quibus tamen nihil est ad rem praesentem. Huius Palaephathi nostri auctoritate atque testimonio Virgilium eo carmine ex Ciri ad Messalam usum fuisse tradunt, *Docta Palaephatia testatur voce papyrus.* Hunc eundem Probus, interpretes Maronianus, citat, super expositione illius Virgiliani carminis ex 3. Georg. [v. 115.] *Frena Pelethronii Lapithae, gyroisque dedere* etc., ubi opinionem Palaephathi de Centauris, quemadmodum, et Seruius, et alii quidam, probat. Admonendus est tamen lector,


*) Describi hanc Phasianini Praefationem iussimus e Sylloga Mythicorum veterum, quae Basil. A. C. MDCCCXXXVIII. f. mai. prodiit ap. Ioh. Heruagium, p. 106. f. In exemplo Basileensi, quod a. MD

CCXLIII.8. emissum esse ostendimus in Praefat. edit. nostrae primae, pro verbis *Phil. Phasianinus Lectori* leguntur verba haec, *De Palaephato nonnulla, eiusdem Philippi Phasianini ad lectorem.*

lector, vt apud Probum, vbi passim legitur *Palaephatus in libro Arifton*, sciat legendum esse *Apiston*: quando libri eius ita appellantur a Suida, *βιβλία ἀπίστων*, id est, *libri incredibilium*, seu *incredulorum*, vt quidam exponunt: vel *περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν*, id est, *de non credendis historiis*, vel *falsis narrationibus*: ita enim omnibus hisce nominibus ac titulis libri isti circumferuntur, citanturque ab eruditis. Hunc autem Palaephatum, vt ex Suidae verbis colligimus, libros quinque scripsisse apparet. quemadmodum quidam huius libri primum, vel secundum, incredibilium citant, penes quos forte omnes isti libri integri esse debent: quorum paucula haec, quae ad manus nostras, iam decem anni sunt, opera Aldi Manutii peruenerunt, fragmenta quaedam verius esse, quam legitimum opus eius, constat: quae etiam corrupta mutilataque pluribus in locis ita sunt, et ea maxime in parte, vbi de Hercule agitur, vt vix percipi, eruditorum etiam iudicio, possint, nisi pro captu ingenii cuiusuis, quid paucula illa, et alia quaedam ambigua, sibi velint. Quae omnia calamitati temporum, vt pleraque alia, accepta quidem referimus, quae omnibus ferme bonis operibus, et Latinis, et Graecis, semper insidiata est: vt plura ad nos vel sine capite ac membris mutilata imperfectaque transmiserit, quorum reparationi ne ipse quidem Aesculapius, qui mortuos etiam ad vitam reuocabat, subuenire atque occurrere posset. Ego vero, quantum in me fuit, in his transferendis operam dedi, vt culpa carerem, vtque fideliter magis, quam ornate, interpretarer. Quibus si maior tamen diligentia requiretur, non mihi magis, quam temporis iniuriae, vitio detur. Atque adeo, vt, quod sentio, semel dicam, quis ab aliquo Graecorum hominum haec Palaephati scripta interpolata, suppressaque, fuisse, non utique etiam credere possit? Etenim cum ipsi de mendacio iam pridem male semper audierint, eorum vanitates, quod Palaephatus facit, testimonio quoque suorum detegi, atque redargui, non sine graui molestia eos audire posse, nec non Incredibilium libros hosce mirandum in modum detestari, contenderim. Sed

vt

vt serio Graecos quandoque ipsos, cuius linguae studiosus semper fui, ab iis etiam, quae sibi obiiciuntur, purgatos reddam, neue mendacio eis omnia adscribi patiar, et vt inepti nomine, sic mendacii vitio, carere eos ostendam: tale quippiam illos in fabulosis narrationibus suis obseruare voluisse crediderim, quale iurisperiti illi primi, quod Cicero, cum alibi, tum in libris de Oratore, memorat, obseruarunt, qui, obtinendae atque augendae potentiae causa, artem suam per-
vulgari nolebant, nisi Cn. Flavius primus eam propalasset, qui ob id cornicum oculos confixisse dictus est: ita res suas Graeci sub cortice figmentisque fabulosis occultantes, idiotas homines a mysteriis suis arcere ac propulsare studebant. Quae quidem Palaephatus ad Cn. Flauii instar, suos veluti prodens, diuulgare non dubitauit, fabulas omnes, quae super veritate ipsa confictae fuerant, neque fidem capiebant, ad historiae sensum ac veritatem referens. Cui tamen, cum Graecus et ipse sit, dubium quibusdam, scio, videri posse, an fides eadem eius, quae caeterorum Graecorum scriptis, adhiberi debeat, quin idem quoque in taxandis aliorum mendaciis vanus ac mendax appareat, neue ex fabulis fabulas confingere, ac mendaciis mendacia adstruere, voluisse videatur. Qua in re, ne tale quippiam de se crederetur, veritus, in Praefatione operis sui, ad omne dubium prorsus tollendum, ea se duntaxat scribere, quae oculata fide viderit, quaeue ab aliis, qui ad ea videnda profecti essent, audierit, testatur. Quae res magnam credulitatis fidem ei dubio procul arrogat, seque a labe illa mendacii plane eximit. Tantumque abest, vt Graecorum more vanus ipse esse, aut aliorum vanitates confouere, velit, vt suorum etiam mendacia detegere, et in medium allata, suscepta etiam ad haec videnda, vt Pausanias, Plinius, et alii, factitarunt, peregrinatione, confutare non dubitet. Vtcunque vero res sese habeat, aequi bonique, lector, consulas, rogamus.



IV D I C I A

VIRORVM QVORVNDAM DOCTORVM D E P A L A E P H A T O ATQVE EIVS LIBELLO

I. In haec tempora [*Xenophontis*] etiam referunt Palae-
phatum Parium: cuius de Opere *περὶ τῶν ἀπίστων ἱστοριῶν*
De incredibilibus historiis exiguum superest fragmentum,
dissentiente et incertae aetatis, putante Gerardo Ioh. Vossio.
Elegantissimus est libellus, et ab omnibus legendus, ut vi-
deant, quomodo historiae ingenio poetarum in fabulas mi-
grauerint, et ex fabulis ad veritatem reuocari debeant. Prod-
iit Basileae, interprete Philippo Phasianino 1570., cum Hy-
gino aliisque: 1578. Parisiis: Anno 1650. a Cornelio Tol-
lio: Anno 1663. a Martino Brunnero, Graecc. Litt. Profes-
sore Vpsaliensi, *Ioh. Henr. Boeclerus de scriptorr. Graecc.*
et Latt. saec. a C. N. III. p. 20. Ultrai.

II. Sed et Palaephatus apprime proderit ei, qui in hu-
manioribus literis cum cura versari cupit. Eius enim *Incre-*
dibilia usque adeo utilis est libellus, ut dignum existimem,
qui in Germania recudatur, et publice in scholis praelega-
tur. Fabulosam antiquitatem, aut intellectu difficilia, quae
magna etiam ingenia misere torserunt, plana atque expedi-
ta, mira stili elegantia, reddidit. Porro multae ibi habentur
observationes historicae, geographicae, politicae, ad in-
teriore[m] eius notitiam facientes: multae ibi latent viuendi
praeceptiones, cuicumque, siue aetati, siue ordini, vtilis, et
summe necessariae. *Herm. Conringius in Notitia scripto-*
rum MS. Cap. VIII. de scriptoribus mythologicis f. 16.

III. Quis fuerit Palaephatus ille, cuius nomen prae se fert liber de Incrēdibilibus, inter eruditos non satis constat. Nec fortasse a vero multum abest Scaligeri Grotiique opinio, auctorem ab argumento libri nouum sibi sumsisse nomen suspicantium. Ceterum in eo conspirant viri docti, libellum istum, et ab vtilitate, et ab elegantiā, prae caeteris esse commendabilem, lectuque dignissimum. *Christo. Aug. Heumanus Parergg. Critt. p. 107.*

III. Palaephatus, scriptor, et oratione, et iudicio, elegans. *Idem Poecil. To. 1. p. 39.*

V. Palaephatus, antiquissimus auctor, de fabulis veterum ita docte et accurate scripserat, vt locum prouerbio [καὶνὸς ἔτος Παλαιόφατος] fecerit. *Casaubonus ad Athen. 14, 23. p. 940.*

VI. Palaephatus, historiae fabularis haudquaquam spernendus interpres. *Christo. Saxius Onomast. To. 1. p. 88.*

LVDOV. CAELIVS RHODIGINVS

LECTT. ANTIQQ. LIB. XXX. CAP. XXXIII

Quoniam vero, ducente nos stilo ipso, in fabulosa delapsi sumus, subit nunc illud, ut testatum apud studiosos velim, scienter, nec minus ornate, libellos id genus, quibus fabellis inuoluta memorentur, quaeque fidem non capiunt, posse *Palaephatiam* dici *papyrus*, ab auctore Palaephato, qui Incredibilium, id est τῶν Ἀπίστων, volumina concinnarit. Nec me fallit, Virgilium, dum ad Messalam scribit, *Palaephatiam papyrus* simpliciter pro libris eius auctoris videri accepisse, quando ita canit, *Quam mala multiplici iuuenum quot septa caterua Dixerat, atque animo meretrix iactata, ferarum Infamem tali meritorum more fuisse, Docta Palaephatia testatur voce papyrus.* Fuit Palaephatus hic Parus patria, siue, ut alii tradunt, Prieneus. Vixit Artaxerxis tempore: Incredibilium libros quinque reliquit, quos tamen ad Athenaeum quidam reiciunt: in eorum primo, Scyllae mentio fit, quae circumuenire hospites consueverat, quam tamen astutia euaserit Vlysses. Atque inibi Sirenas quoque fuisse meretriculas, idem auctor prodit, quae deceperint nauigantes. Comperta nobis pleraque item alia, sunt digna, ut arbitror, scitu, quae suis libris complectebatur Palaephatus. Ea si subiecero, nimirum oleum et opera philologiae non perierit. Nam quod fabulosa tradit historia, Phryxum cum Helle sorore fugientem nouercales insidias, visum esse per mare vehi ab ariete velleris aurei: quidam interpretantur, fuisse paratam fugienti nauem, cuius insigne aries foret. Palaephatus vero affirmat, Arietem vocatum nutritorem, cuius sit opera et consilio liberatus. Non desunt, qui prodant, arietinis chartis fuisse librum, qui auri

con-

conficiendi ac argenti rationem contineret. Item sunt, qui scribant, fuisse Pegasum mulieris cuiusdam equum velocissimum. Idem Palaephatus Bellerophontis naudem accipit eo nomine. Multa de Sparti passim a poetis memorantur: eos Palaephatus scribit, quum proximarum essent regionum, aduersus Cadmum subito constitisse, ac propter repentinos quasi de terra contractus, ex omni parte confluentes, Spartos vocatos. Repetit idem hic, quae prodita fabulis de Daedalo sunt, qui visus est simulacra fecisse mouentia, sed primus, ut inquit idem, statuarum pedes a se inuicem separavit, aliis coniunctim eos fabricantibus. Naui quoque cum Icaro filio Minois impetum euitasse, scribit, et propter inuestigabilem fugam auolasse pennis, esse existimatum. Ex quo ingeniosius facta, meditataque, *Daedala* dicunt. Sicuti varia vocant *Aeola*, de Aëoli antiqui vafricia, ut scribit Lycophronis interpret super eo versu, Ἐλυσε χερσῶν, ὥς πρὶν αἰόλον εἶμα. Fuit autem Daedalus Metini, vel Mitionis, ut habent alii, et Iphinoës, filius, a quo Athenis Daedalidae nuncupati. Caeterum fuit et Palaephatus alius historicus, qui Cypriaca scripsit, ac Delia: item Attica, et Arabica. Vixit hic Macedonis Alexandri temporibus. Fuit et nomine eodem Aegyptius Grammaticus, aut Atheniensis, ut alii volunt. Porro Palaephati nomen, antiquum significare videtur, sed et diu praedictum. Vnde olim fere pueri in facello diuae Mariae Rhodigii Graecis characteribus CHRISTI passi, nostra inscriptione Palaephaton sebasma, venerati sumus, id est, παλαιφάτον σέβασμα. Indicat item dictio *fatidicum*: quando Odyssae T Homerus *quercum* appellauit *palaephaton*.

DE PALAEPHATIS

EX OPERE

GERARDI IOHANNIS VOSSII

DE HISTORICIS GRAECIS

LIB. III. p. 183. l. TO. IIII. OPP


Palaephatus, Grammaticus Aegyptius, vel, iuxta alios, Atheniensis, ἔγραψε ἱστορίαν ἰδίαν, Suida teste. Ex quo etiam edidisse cognoscimus Aegyptiam philosophiam, et argumenta in Simonidem, et μυθικῶν librum vnum, et λύσεις τῶν μυθικῶς ἐξημένων. Quorum postrema duo idem poterant volumen credi, nisi aperte distingueret Suidas. Praeterea Troica, quorum praeter alios meminere Stephanus in Χαριμάται, et Suidas in Μακροκέφαλοι, a nonnullis Grammatici huius esse credebantur. Compluribus id opus libris constituisse, indicat, quod Harpocratio in Δυσαύλης laudet Palaephatum ἐν πρώτῳ Τρωικῶν, atque idem in Μακροκέφαλος citet ἐν ἐβδόμῃ Τρωικῶν. Alii alterius esse existimarunt. Incerta eo res est, quia quatuor fuere Palaephati. Vnus erat poëta epicus, Atheniensis: alter Parius, vel Prienensis: tertius historicus Abydenus: quartus Grammaticus iste Aegyptius, vel Atheniensis. Trium priorum aetas a Suida indicatur. Nam Atheniensem ἐποποιὸν supparem fuisse Phemonoae ait, vel fortasse etiam antiquiorem: Parium, vel Priensem, refert ad tempora Artaxerxis: Abydenum ad aetatem Alexandri Magni: quarti autem tempus ignoratur. Ex quatuor istis primus in considerationem non venit hoc loco. Quod si quis nosse volet, quae carmine scripserit, adeat Suidam. De tertio autem, Aby-

deno nempe historico, actum nobis lib. I. cap. VIII. Super-
sunt secundus, quartusque: quorum ille Parius, aut Prienen-
sis, hic Aegyptius, vel Atheniensis, fuisse dicitur a Suida.
Priori tribuit quinque libros ἀπίων, sed addit, a quibusdam
eos adscribi Palaephato Atheniensi: ac hunc quoque illud
argumentum tractasse. Verum cum postea refert, quae scri-
pserit Atheniensis Palaephatus, non nominat libros ἀπίων,
sed λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων. Exstat hodieque Palae-
phati operis fragmentum, quo poëticae fabulae explicantur.
Id Parii Palaephati arbitrantur Caelius Rhodiginus lib. XXX.
Antiquarr. Lectt. cap. XXXIII. et Lilius Gyraldus dial. II.
Historiae Poëticae. Quam et sententiam ipsi primitus se-
cuti fuimus: sed postea mutauimus *. Mouit Theo in Pro-
gymnasmatibus capite περὶ ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς, ubi
hunc in modum loquitur: Παλαμφάτω τῷ Περιπατητικῷ
ἐστὶν ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίων ἐπιγραφόμενον. Ac
similiter inscripsit auctor librum, quem habemus. Siqui-
dem illum eo pacto orditur: τὰδε περὶ ἀπίων συγγέγρα-
φα. In Theonis autem verbis considerandum, quod ἀπί-
ων scriptorem appellet philosophum Peripateticum: imo
et Ioannes Tzetzes, qui saepius citat Palaephati Μυθολογι-
κὰ, nunc eum vocet φιλόσοφον Στωϊκόν, vt Chil. VIII.
Histor. CCLXXIII., nunc ἄνδρα ἐκ περιπάτου, vt Chil. X.
Histor. XX. Quorum si alterutrum verum sit: diuersus fue-
rit a Pario illo, siue Prienensi, qui sub Artaxerxe vixit. Nam
Zeno, Stoicae sectae conditor, demum floruit euerso iam
Persarum imperio ab Alexandro Magno, imo rege hoc iam
extincto, et successoribus eius inter se de imperio decertan-
tibus. Nec Parius ille Peripateticus recte dicatur, cum ap-
pellatio ea conueniat nulli, qui Aristotele ipso antiquior sit.
Sic

* Vossius Commentarr. rhe-
torr. 4, 11. 2. p. 198. To. 2.
Leid. *Scripsere e Graecis de
poëticarum fabularum sensibus
Phurnutus, siue Cornutus, et*

*Palaephatus, non Parius ille,
siue Prienensis, cuius inter alios
Virgilius meminit in Ciri, ve-
rum alius, vt suspicor, eo in-
nior.*

Sic igitur statuo, si Palaephatus, quem habemus, est vnus ex illis Suidae memoratis, esse illum incertae aetatis, Aegyptium, siue Atheniensem: quem et ipsum *περὶ ἀπίστων* tractasse, ibidem dicitur. Tantum metuo, ne Suidas nobis duos confundat Palaephatos: quorum vnus fuit Aegyptius, alter Atheniensis; vnus Grammaticus, alter philosophus. Nam scriptor ille Suidae vocatur Grammaticus; Theoni philosophus Peripateticus; Tzetzae nunc Peripateticus, nunc Stoicus: vt vidimus. Cum autem Tzetzes sibi parum constet: et Theo longe sit antiquior: potius Peripateticum fuisse censeo. Etsi Iosephus Scaliger, in poemate, quod Ciris inscribitur, Stoicum et ipse nuncupet: nempe a Tzetze, vt puto, deceptus. Palaephati eius libri *περὶ ἀπίστων*, de quo diximus, meminit quoque Virgilius, siue alius, in Ciri: *Infamem tale merito rumore fuisse. Docta Palaephatia testatur voce papyrus.* Priorem sic versum rescripsi, Paulum Leopardum secutus, lib. X. Miscell. cap. XXVIII.: vbi in vulgatis perperam est, *meritorum more*. Posteriori versu retineo scripturam vulgarem: licet minime me fugiat, non Georgium Fabricium modo, sed Iosephum quoque Scaligerum, pro *papyrus* reponere *Pathynus*. Mentio eius praeterea est apud Probum in III. Georgicon; Eusebium in Chronicis ad numerum DCCLVII., vbi de Tyndari liberis, et alibi; Orosum lib. I. cap. XIII



IOH. ALB. FABRICIVS

BIBL. GR. LIB. I. CAP. XXI

DE PALAEPHATO

Palaephatus Atheniensis quoque non praetereundus, quem Homëro antiquiorem olim habitum fuisse a nonnullis, patet ex Suida, cui dicitur ἑποποιός, υἱὸς Ἀκταίης καὶ Βιῆς, οἱ δὲ Ἰοκλῆς Φασί, καὶ *) Μετανείρας, οἱ δὲ Ἑρμῆ. Γέγονε δὲ κατὰ μὲν τινὰς μετὰ Φημονόην, κατὰ δὲ ἄλλους καὶ πρὸ αὐτῆς. De hoc puto intellegendum distichon. Christodori, quod extat libro quinto Anthologiae p. 522. Δάφνη μὲν πλοκαμίδα Παλαίφατος ἔπρεπε μάντις Στεφόμενος, δόκεεν δὲ χεῖν μαντώδεα Φωνήν. Addit Suidas, hunc Atheniensem Palaephatum scripsisse κοσμοποιίαν versibus quinquies mille, Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος γοναῖς versuum tribus millibus, Ἀφροδίτης καὶ Ἐρωτος Φωναῖς καὶ λόγους versibus itidem quinquies millenis, Ἀθηνᾶς ἔριν καὶ Ποσειδῶνος versibus mille, et Λητῆς Πλόκαμον. Mox testatur, ad eundem referri, non modo Τρωικά, quae alteri Grammatico Aegyptio, et Atheniensi iuniori, ab aliis tribuuntur, et quorum librum primum laudat Harpocration in δύσαύλης, septimum Stephanus Byz. in Χαριμάται, et idem Suidas, atque Harpocration, in μακροκέφαλοι.

2. Sed et *libros quinque Ἀπίσων*, siue *de Incredibilibus*, Suidas tribuit Palaephato huic Atheniensi **), quorum
pri-

*) In scholiis minoribus ad Homerum. Il. κ' [v. 435.] Palaephatus vocatur *filius Thaliae*.

**) Seleucus, Grammaticus Alexandrinus, Suida teste, librum scripserat *περὶ τῶν ψευδῶς πεπιτευμένων*.

primum non periisse, patet ex initio libri Palaephati, quem de illo argumento habemus distributum in capita quinquaginta et unum. Hic enim simplici more vetustissimorum scriptorum ita incipit: *τάδε περὶ ἀπίστων συγγέγραφα*. Integrum autem Palaephati opus ad nos haud peruenisse, praeter librorum apud Suidam numerum, ostendunt loca, quae ex Palaephato a scriptoribus veteribus adducuntur, nec in nostro comparent, et quod in quibusdam Codicibus, teste Clarissimo Galeo, inscribitur, *ἐκ τῶν τῷ Παλαιφάτῃ περὶ τῶν ἱστορίων*.

3. Neque obstat, quod Theo Sophista *) in Progymnasmatibus *unum tantum librum* commemorare videtur, cum p. 69. Capite *περὶ ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς* post varia commemorata *μυθολογέμενα*, Καὶ Παλαιφάτῳ, inquit, τῷ Περιπατητικῷ ἐστὶν ὅλον βιβλίον περὶ τῶν ἀπίστων ἐπηγερόμενον, ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτά ἐπιλύεται, οἷον ὅτι Κένταυροι μὲν ὑπελήφθησαν οἱ πρῶτοι ἐπὶ ἵπποις ὀχήμενοι ὀφθέντες (e Palaephati c. 1.: idem respicit Eustathius ad Iliad. α' p. 76., et ex libro primo *Incredibilium Palaephati* allegat Orosius l. 1. c. 13.). Διομήδης δὲ Θράξ εἰς ἵπποτροφίαν ἐξαναλωθεὶς ἐλέχθη ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἵππων ἀπολωλέναι (c. 4.)· κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν Κυνῶν (c. 3.). Ἡ δὲ Μήδεια βάπτει τὰς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῶν ἀνδρῶπων πολιάς, καὶ μελαίνας ποιεῖ, ἐφημίσθη τὸς γέροντας κατακόπτει νέες ποιεῖν (c. 44.), καὶ τὰ παραπλήσια τέτοις. Notum sane est, βιβλον, et βιβλίον, etiam dici de opere in plures libros distributo. Vt adeo Hilarius olim non plane inuictō argumento usus sit, cum diuisionem Psalmorum in quinque libros reiiciendam sensit ex eo, quod Actor. 1, 20., et Luc. 20, 42., legatur ἐν βιβλῷ Ψαλμῶν. Similiter enim dicitur βιβλος Μωϋσέως Marc. 12, 26., et βιβλος προφητῶν

d 5 Actt.

*) Non refragabor tamen, si quis Theoni unum tantummodo, quem hodie habemus,

Palaephati librum inspectum esse dixerit.

Actt. 7, 42.: et si nemo nescit, Moſis, et Prophetarum, ſcripta in plures libros diuiſa eſſe. Vide etiam, quae notant Benedictini ad Ambroſium in Pſalmum XL.

4. Caeterum patet praeterea ex hoc loco Theonis, idem plane opus, ſiue eiufdem operis Palaephathi partem, ad nos perueniſſe, qua veteres uſi ſunt, nec cauſam fuiſſe, cur vir magnus Epistolae 117. ad Gallos *), ſecutus Scaligerum ad Cirin p. 51., exiſtimaret, huius auctorem ſcripti, alienum Palaephathi nomen occupaffe. Quod vero a Theone, uti a Iohanne Tzetza quoque Chiliad. 1. v. 558., Palaephatus iſte Peripateticus philoſophus dicitur, hoc mouit virum doctiſſimum Gerh. Ioh. Voſſium, ut l. III. de Hiſtorr. Graecis p. 395. diſcederet a ſententia eorum, qui cum Suida, Coelio Rhodigino, Gyraldo **), opus de Incredibilibus referunt ad Palaephatum Parium, ſiue Prieneum, quem Artaxerxis temporibus floruiſſe, idem Suidas auctor eſt. Longe iuniorem enim eſſe oportet, ſi fuerit Peripateticus, aut ſi Stoicos fuerit ſecutus, ut tradit Tzetzes ad Lycophronem v. 1206.: licet eo in loco Codex Baroccianus non legat Παλαίφατος ***), ὁ Στωϊκός, ſed ὁ ἱſτορικός. At Stoicum, et ἐκ Στωϊκῶν τῶ γενεῆς, appellat etiam Ioh. Tzetzes Chil. 2, 838. Chil. 9, 408. 414. et 445., et Chil. 10, 426.: ubi ἱſτορικὸς vocabulum reponi non patitur verſus politici ratio, ut praeteream, quod poſtremo loco etiam Phyſicum Palaephatum dicit. In quamcunque partem autem nos vertamus, de auctore, et tempore, nihil certi reperiemus, cum Suidas alium praeterea narret Aegyptium, ſiue Athenienſem, ut ait, Grammaticum Palaephatum, cui, praeter Troïca, de quibus

*) Grotius Epist. 264. in maiori Collectione.

Auguſtin. C. D. 18, 12. p. 341. et 18, 13. p. 347. Geneu. F.

**) Iis addi poteſt Ludou. Viues, qui fab. 16. et fab. 2. huius opusculi tribuit Palaephato Pario in Commentar. ad

***)) Meurſius in bibl. Attica putat, legendum Παλαίφατος Τρωϊκῆς cuius operis ſeptimum librum allegat Suidas in μακρονέφαλοι.

bus iam dixi, Hypotheses, siue themata, in Simonidem, Theologiam Aegyptiacam, et historiam singulari libro expositam, tribuit, *μυθικῶν βιβλίων α΄*, et *λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων* qui tituli non parum affinitatis cum scripto Palaephati, quod extat, habere videntur. Quando autem vixerit hic Palaephatus, non docet. Quisquis tamen est *περὶ ἀπίστων* scriptor, vetustissimus est, quem secuti Apollodorus, et Diodorus Siculus, notante Scaligero, laudat Virgilius in Ciri v. 88., respiciens ad ea, quae de Scylla dixerat Palaephatus c. 21. Etiam apud Plinium in Indice libri XXIX. inter scriptores externos, terti Codices manu exarati, quos inspexit Harduinus, pro *Philopators* legunt *Phalarats*. vnde *Palaephato* forte legendum scribendumque coniicit vir eruditissimus. Ab illo *περὶ ἀπίστων* opere, quo post *Melissum*, quem laudat, Euboicum *), et *Lamiscum* Samium, fabulas et incredibiles narrationes ad sensum verum physicum, historicum, et moralem, reducere conatus est, in prouerbum deinde abiit, vt, quicumque eius exemplo incredibilia belle incrustare, vel rebus absurdis et fabulosis colorem addere et verisimilitudinem nōset, is *nōnus quidam Palaephatus* esse diceretur: cuius prouerbii meminit primus forte eius auctor, Athenion Comicus apud Athenaeum sub extremum Libri XIV. p. 661. *Καινὸς γάρ ἐστιν ἔτος Πалаίφατος Προφῆτο* hic nobis est alter *Palaephatus*. Eustathius ad *Odyssaeae* τ' p. 688. *Παλαίφατος δὲ μέμνηται καὶ Ἀθήναιος, ἔνθα μαγείας σφριζομένε, καὶ τὴν οἰκείαν τέχνην ἀποσεμνύνοντας, ἔφη τὸ, Καινὸς ἔτος Πалаίφατος· ὃ δὲ καὶ παροιμιάζεται τὲς πιθανολογῆντας τὰ μὴ οἶά τε ὄντα προσοχὴν ἔχειν.* Sunt, qui eiusdem prouerbii testem etiam laudent Plutarchum Libro XXVII. *Symposiacon*, quem allegari videas in fronte **) editionis Palaephati, quae inter opuscula Mytholo-

*) Immo *Samium*. v. Fabricius B. G. 2, 23. 22. p. 820. Vol. 2. F.

**) Omitto editionem Pauli Patris, aliasque, in quibus similiter legitur.

thologica, Physica, et Ethica, Cantabrigiae, et Amstelodami, excusa primum locum obtinet, et in Gnomologia Homerica viri eximii, Iacobi Duporti p. 263. Sed nusquam extat liber ille Symposiacon Plutarchi vigesimus septimus: neque Plutarchus Palaephati, aut prouerbii illius, mentionem facit: sed error natus est ex obiter inspecto Casauboni ad Athenaeum commentario Lib. XIV. 23.: vbi post allegata ex octauo Symposiacorum Plutarchi verba sequitur: *Vigesimo septimo: Καινὸς γάρ ἐστιν ἔτος Πалаίφατος.* Sed non Plutarchi liber intelligitur, nec Plutarchi verba deinde adducit Casaubonus, sed pergit commentari in versum Athenionis Comici, quos Athenaeus ex eius Samothracibus adduxerat, cum eleganti Metaphrasi etiam exhibitos a Grotio in Excerptis e Tragicis ac Comicis Graecis, p. 981. Horum versuum Athenionis vigesimus septimus est iste: *Καινὸς γάρ ἐστιν ἔτος Πалаίφατος.*

5. Quae Eusebius, siue Hieronymus, in Chronicis ex Palaephato profert, in libro, qui extat, reperiuntur omnia, excepto eo, quod ad annum 843. auctorem Palaephatum laudans, notat *Sirenas fuisse meretrices, quae deciperunt nauigantes*, quod legas in Heracliti libro eiusdem argumenti e Palaephato plura mutuati c. 14. Confer Hieronymi Chronicon ad A. 630. cum Palaephati c. 31.: ad A. 675. cum c. 29.: ad A. 695. cum c. 6.: ad A. 736. cum c. 28.: ad A. 756. cum capite 7.: ad A. 772. cum c. 1.: ad A. 843., vbi *liber primus Incredibitium* allegatur, cum c. 21. Quae Iohannes Malalas de Sphinge e Palaephato adduxit T. 1. Chronographiae p. 60.—63., itemque Eustathius ad Odyss. λ' p. 434., ζ' p. 556., habentur c. 7. Quae idem Eustathius in Iliad. ω' p. 1507. de Niobe, c. 9. Sed quae Malalas affert de Cerbero p. 75., longe alia leguntur c. 40. Et quod p. 267. ait, eum Persei meminisse, factum deprehenditur c. 32. Sed longe alius is fuit Perseus. Frustra vero in Palaephato nostro quaeras, quae idem Malalas ex eo producit p. 26. de Martis Venerisque adulterio a sole depre-


prehensio, et p. 36.—38. de inuentione purpuræ; quæ duo loca etiam habentur in Chronico, quod Alexandrinum vulgo audit, et a viris clarissimis, Tollo, Brunnero, Galeo, Paulo quoque Patre, sunt Palaephathi libro subiuncta: neque causa est, cur alterius esse Palaephathi videantur. Incertum tamen est, an e Palaephato petita sint, quæ de Vulcano, ferri inuentore, in eodem Chronico leguntur: certe id nec verbulo innuit auctor, nec Suidas in *Ἡφαιστος*. Non extat denique in nostro Palaephato, quod idem Malalas p. 101. profert de Leda a Ioue verso in cygnum: nec quod Eustathius ad Iliad. β' p. 246. de Protefilao per Aeneam occiso, et p. 275. de Alopes habitatoribus, et ad Odyss. α' p. 8. de Illo, ab Apolline et Neptuno condita: quod ex Palaephato forte repetiit Anonymus Allatianus de Incredibilibus c. 4. Quæ vero Tzetzes ad Lycophronem e nostro habet, extant in Palaephathi libello c. 6. Idem caput respicit Ioh. Tzetzes Chil. 10, 426.: qui interdum expositiones Palaephathi reiicit et exagitat. Quemadmodum Ludouicus Viues quoque non omnino sinistre Palaephatum poetarum fabulas ad congruentem quandam historiae ac veritatis applicationem traduxisse professus, addit in nonnullis alias deficere eum coniecturas, alias fallere. Caeterum confer, si placet, Tzetzae Chil. 7, 10.—19. et Chil. 9, 411. ff. cum Palaephathi c. 1.: Chil. 1, 558. cum c. 8.: Chil. 2, 838. et Chil. 9, 410. cum c. 41.: Apostolium Centur. 2. prou. 86. cum c. 46.

6. Prodiit primum is, quem saepius iam dixi, Palaephathi liber Graece cum Aesopi fabulis aliisque scriptis, quæ supra c. XIII. num. 3. indicauimus, ex Aldina officina Venet. 1505. fol.: deinde seorsim Basileae apud Ioh. Oporinum. Latine vertit *Philippus Phasianinus*, Bononiensis, cuius translatio plus simplici vice excusa est Argentorati 1517. 4. cum praefat. Nicolai Gerbellii: tum Parisiis, et aliis in locis, in forma quarta, et octaua, modo seorsim, modo adiuncta Hygino, Fulgentiique Mythologicis, vel Phor-

Phornuti libello de diis. Habeo et editionem Graecolatinam, additis, praeter Phornutum, libris tribus recentioris scriptoris Iuliani Aurelii, Lessigniensis, de cognominibus deorum gentilium: sed Graeca Phornuti, et Palaephati, separatim exhibentur, separatim Conradi Clauseri, et Phasianini, versio, Basil. 1543. 8. Ab eo tempore Graece cum noua versione, et notis suis, Palaephatum separatim edidit, et ex manu scripto Arundeliano variis in locis castigauit, Cornelius Tollius Amstel. 1649. 12. Nam Lipenio caue credas, qui in bibl. reali philosophica p. 1079. tradit, vulgatum a Tollio cum Hygino aliisque Paris. 1578.: quo tempore Tollius ne natus quidem erat. Tollii versionem retinere, qui postea Palaephatum Graece et Latine ediderunt, *Martinus Brunnerus*, Graecae linguae in Academia Vpsaliensi Professor, *Paulus Pater*, Hungarus, Professor Gymnasii Thorunienfis, atque inde Gedanensis, et *Thomas Galeus*, Anglus, vir doctissimus et humanissimus. A Brunnero notae nouae additae sunt, quibus, praeter res, quas tractat, dictio in primis scriptoris illustratur: quo facit etiam Index vocum phrasiumque Graecarum ab illo adiectus, Vpsal. 1663. 8. Vfus est Brunnerus codice MSto, quem CPoli secum attulerat Christianus Ravius. Paulus Pater capita singula in minores sectiones diuisit, Brunneri notas fere integras retinuit, quibus nonnullas adspersit, *adiecturus forte rectiora ex codicibus Bibliothecae Guelpherbytae, vel Augustanae, modo typographus moram aliquam indulisset*: quae ipsius verba sunt, praefantis ad editionem suam Francof. 1686. 8. Idem Pater deinde singulari volumine vulgavit doctrinas morales ex singulis Palaephati capitibus erutas, Indicesque verborum, ac phrasium, itemque rerum, copiosos. Denique Galeus Palaephatum iussit familiam ducere in Collectione opusculorum Mythologicorum, Physicorum, et Ethicorum, quam Graece et Latine vulgavit cum notis, Cantabrigiae 1671. 8., et, Marco Meibomio curante, recudendam dedit Amsterd. 1687. 8. apud Henr. Wetstenium. Pau-
cas quidem, sed eruditae, notas, atque castigationes, Galeus adie-

adiecit, vñs quinque Codicibus MStis, Cantabrigiensi vno e Collegio S. Trinitatis, tribus Oxoniensibus, quarum variantes lectiones ab Ed. Bernardo, viro summo, acceperat, et vno Arundelianae bibl. Londini, eodem, quem in suis annotationibus Tollius laudauit.

Caeterum, praeter Fabricium, vt de aliis Palaephatis, eorumque scriptis, ita maxime de hoc, cuius operis reliquiae a nobis editae sunt, earumque editoribus et interpretibus, consuli possunt Cunr. Gesnerus, Ios. Simlerus, et Ioh. Iac. Frisius, biblioth. v. *Palaephatus* p. 648. Turic.: Ioh. Meursius biblioth. Att. v. Παλαίφατος. Eduardus Simsonius Chron. Cathol. ad A. M. 3594.: Catal. bibl. Bunau. To. 1. Vol. 1. p. 61.: Hambergerus Commentarr. de scriptorr. Græc. et Lat. p. 46. P. 1.: Harlesius Introd. in hist. L. Gr. p. 9.—12. F



LOCi NONNVLLI
SCRIPTORVM QVORVNDAM VETERVM
ETIAM GRAMMATICORVM
DE AVCTORE OPVSCVLI DE INCREDIBILIBVS
ALIISQVE PALAEPHATIS
ATQVE
EORVM RELIQVIAE QVAEDAM

I. Παλαίφατος, Ἀθήνησιν ἐποποιὸς, υἱὸς Ἀκταίῃς, καὶ Βιῆς· οἱ δὲ Ἰοκλῆες φασί, καὶ Μετανείρας· οἱ δὲ Ἑρμῆ. Γέγονε δὲ κατὰ μὲν τινὰς μετὰ Φημονόην, κατὰ δὲ ἄλλους καὶ πρὸ αὐτῆς. Ἐγραψε, δὲ Κοσμοποιίαν εἰς ἔπη ρ· Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος γοναῖς, ἔπη γ· Ἀφροδίτης καὶ Ἑρώτος Φωναῖς καὶ λόγους, ἔπη ρ· Ἀθηναῖς ἔριν καὶ Ποσειδῶνος, ἔπη α· Λητῆς πλόκαμον. *Suidas* p. 8. Τυ. 3. *Neos. et Eudocia Ion. p. 356.: ubi legitur ἐποποιὸς Ἀθήνησιν.*

II. Παλαίφατος, Πάριος, ἡ Περηνεὺς, γεγωνὸς κατὰ Ἀρταξέρξην. Ἀπίων βιβλία ἐ· τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθηναῖον [*Mediol. Bas. ἀθήναιον*] ἀναφέρουσι· πλὴν καὶ ἑὸς ἔγραψε. *Suidas d. l. Haec ipsa verba transtulit in Ἰωνιὰν Eudocia, sed legit p. 359. ἔγραψε περὶ ἀπίων ἰσοριῶν βιβλία ἐ· τινὲς δὲ καὶ ταῦτα εἰς τὸν Ἀθήναιον ἀναφ. — ἔγραψεν.*

III. Παλαίφατος, Ἀβυθηνὸς, ἰσορικός. Κυπριακά. Δηλιακά. Ἀττικά. Ἀραβικά. Γέγονε δὲ ἐπὶ Ἀλεξάνδρῃ τῷ Μακεδόνος· παιδικὰ δὲ Ἀριστοτέλεις τῷ Φιλοσόφῃ, ὡς Φίλων ἐν τῷ εἰσοιχείῳ τῷ περὶ παραδόξῃ ἰσορίας βιβλίον [*βιβλίσ*] ἀ, καὶ Θεόδωρος ὁ Ἰλιεύς ἐν δευτέρῳ Τρωϊκῶν.

κῶν. Suidas d. l. Sed verba ἐν τῷ — ἀ ἰαμ Neocoro mendose scripta visa sunt. recte. Certē in Eudociae Ἰωνιᾷ p. 350. legitur, ἔγραψε Κυπριακὰ, Δηλιακὰ, Ἀττικά, Ἀραβικά — ὡς Φίλων ἐν τῷ Ὑ σοιχείῳ τῇ περὶ παραδόξε ἱστορίας πρώτῃ βιβλίῃ. Conf. Fabricius biblioth. Gr. i, 22. 4. p. 145. f. Vol. i.

III. Παλαίφατος, Αἰγύπτιος, ἢ Ἀθηναῖος, γραμματικός. Αἰγυπτίαν Θεολογίαν. Μυθικῶν βιβλίων ἀ· Λύσεις [Mediol. h. l. notam habet, ex qua in Basf. extitit monstrum vocabuli λίας] τῶν μυθικῶς εἰρημένων. Ὑποθέσεις εἰς Σιμωνίδην. Τρωικά· ἃ τινες εἰς τὸν Ἀθηναῖον [Mediol. Basf. Eudoc. ἀθηναῖον], τινὲς δὲ εἰς τὸν Πάριον, ἀνήνεγκαν. Ἐγραψε καὶ ἱστορίαν ἰδίαν. Suidas d. l. et Eudocia d. l. p. 359.: quae legit ἔγραψεν Αἰγυπτιακὴν Θεολ., μυθικῶν βιβλίων ἀ· ἀλληγορίας τῶν μυθικῶς εἰρημένων.

V. Ἐπαινῆ δὲ [Demetrius Scerpius] μάλιςα τὴν Ἐκαταίῃς τῇ Μιλησίῃ, καὶ Μενεκράτῃς τῇ Ἐλαίτῃ, τῶν Ξενοκράτῃς γνωρίμων ἀνδρῶν, δόξαν, καὶ τὴν Παλαιφάτῃ. — Ὁ δὲ Παλαίφατος φησὶν, ἐξ Ἀμαζόνων [Paimetrius ἐπι. Ἀλαζόνων, vel Ἀλιζάνων] τῶν ἐν τῇ Ἀλόπῃ οἰκόντων, νῦν δ' ἐν Ζελεΐᾃ, τὸν Ὀδίον, καὶ τὸν Ἐπίεροφον, σφατεῦσαι. — ὁ, τε Παλαίφατος πρότερον μὲν Ἀλόπῃν οἰκεῖν φήσας, νῦν δὲ Ζέλειαν, ἔδεν ὁμοιον λέγει τέτοις. Strabo 12. p. 827. ff. Almel. p. 550. ff. Casaub. Loquitur Strabo de Palaephato Aegyptio, vel Atheniensis, vel Pario, qui ea tradiderit in Τρωικοῖς. Verba Strabonis, Παλαίφατός φησι, τὸν Ὀδίον, καὶ τὸν Ἐπίεροφον, σφατεῦσαι, leguntur ap. Eustath. ad Hom. Il. β' p. 363, 24. Rom.

VI. Χαριμάται, ἔθνος πρὸς τῷ Πόντῳ. Παλαίφατος ἐν ἐβδόμῳ Τρωϊκῇ· Κερκεταίων ἔχοντα Μόσχοι, καὶ Χαριμάται τῇ Παρθενίῃ κρατῶσιν εἰς τὸν Εὐξείνιον πόντον. Stephanus Byzant. v. Χαριμάται.

VII. Δυσαύλης. — Παλαίφατος δ' ἐν πρώτῳ Τρωϊκῶν, σὺν τῇ γυναικὶ φησιν αὐτὸν ὑποδέξασθαι τὴν Δήμητρεαν. Harpocratio v. Δυσαύλης.

VIII.

VIII. Μακροκέφαλοι· — ἔθνος ἐστὶν ἔτω καλόμενον· — Παλαίφατος δ' ἐν ἐβδόμῃ Τρωϊκῶν ἐν τῇ Λιβύῃ Φησὶν ὑπεράνω Κόλχων οἰκεῖν τὰς Μακροκεφάλους. *Harpocration* v. Μακροκέφαλοι· cuius haec verba in *Lexicon* suum transtulit *Suidas*: sed in exemplaribus eius legitur nunc quidem ἐν τῷ ζ' τῶν Τρωϊκῶν.

VIII. Καὶ Παλαίφάτῳ τῷ Περιπατητικῷ ἐστὶν ὅλον βιβλίον· περὶ τῶν Ἀπίων, ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτα ἐπιλύεται· οἶον, ὅτι Κένταυροι μὲν ὑπελήφθησαν οἱ πρῶτοι ἐπὶ ἵπποις ὀχόμενοι ὀφθέντες [fab. 1.]: Διομήδης δὲ Θραξ, εἰς ἵππατροφίαν ἐξαναλωθεὶς, ἐλέχθη ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἵππων ἀπολωλέναι [fab. 4.]: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν κυνῶν [fab. 3.]: ἡ δὲ Μήδεια βάπτισα τὰς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῶν ἀνθρώπων πολυὰς, καὶ μελαίνας ποιῶσα, ἐφημίσθη τὰς γέροντας εἰς λέβητας κατακόπτουσα, νέεας ποιῶν [fab. 44.]: καὶ τὰ παραπλήσια τέτοις. *Theo Sophista Progygmn.* c. 6. περὶ Ἀνασκευῆς p. 92. f. *Heinf.*

X. Καινὸς γάρ ἐστιν ἔτοςι Παλαίφατος. *Athenio Comicus apud Athen.* 14, 23. p. 661. B: ad quem locum v. *Casaubonus* p. 940. Nam *Eustathius* quidem ad *Odyss.* τ' p. 1859. Rom. verba ista perperam tribuere videtur ipse *Athenaeo*, Παλαίφατε δὲ, ἰνquirens, μέμνηται καὶ Ἀθήναιος, ἐνθα μαγείρες σοφιζομένους, καὶ τὴν οἰκείαν τέχνην ἀποσεμνύνοντος, ἔφη τὸ Καινὸς ἔτοςι Παλαίφατος· ὃ δὴ καὶ παροιμιάζεται τὰς πιθανολογῶντας τὰ μὴ οἶά τε ἅντα προσοχὴν ἔχειν.

XI. Παλαίφατος Κάδμους γυναῖκά φησι γενομένην, διὰ ζῆλον Ἀρμονίας ἀποσᾶσαν, Καδμείοις πολεμεῖν [vid. fab. 7.]. *Eusebius Chron.* 1. p. 29. *Scal.*: quae ipsa verba leguntur etiam *Can. Chron.* p. 123., sed addito nomine Σφίγγα ante Κάδμους.

XII. Κατὰ τέττας Φεῖξος ἔδοξε τισιν ὀχεῖσθαι ἐπὶ χρυσομάλλῳ κριῷ ἅμα τῇ ἀδελφῇ Ἑλῃ, Φεύγων μητρίαν ἐπιβελύσσαν, καὶ ἐτύχησε πλοῖς, ᾧ τὸ παράσημον κριός. Παλαίφατος δὲ Κριόν φησι καλεῖσθαι τὸν
δια-

διασώσαντα αὐτὲς τροφέα [vid. fab. 31.]. — Ὡς δὲ Παλαίφατος, Βελλεροφόντε πλοῖον ἦν ὁ Πήγασος [vid. fab. 29.]. — τὲς δὲ πλησιοχώρης αἰφνιδίως ἐπελθόντας αὐτῶ, διὰ τὸ πανταχόθεν, ὡς ἀπὸ γῆς, συρρεῖν κατ' αὐτῆς, Σπαρτὲς ὠνόμασεν, ὡς Παλαίφατος ἐν πρώτῳ Φησί [vid. fab. 6.]. — Ταῦ κατὰ Δαίδαλον, ὃς ἔδοξεν ἀγαλματὰ κινέμενα ποιεῖν. Πρῶτος γὰρ διέστησε τὲς τῶν ἀγαλμάτων πόδας, ὡς ὁ Παλαίφατος ἰσορεῖ, τῶν πρὸ αὐτῆς πάντων συμπεφυκότας αὐτὲς πλαττόντων [vid. fab. 22.]. — Πόλεμος Κενταύρων καὶ Λαπιθῶν. Κένταυροι δὲ Θεσσαλῶν ἦσαν ἵππεῖς ἄριστοι, ὡς Φησι Παλαίφατος ἐν πρώτῳ Ἀπίων [vid. fab. 1.]. Eusebius d. l. p. 31. et Chron. Can. p. 117. f.

XII. Παλαίφατος δὲ Κριόν Φησι καλεῖσθαι τὸν διασώσαντα αὐτὲς τροφέα. Eusebius Can. Chron. p. 118.

XIII. Εὐρώπης ἐπὶ ζήτησιν Κάδμος ἐξελθὼν κτίζει τὴν Καδμείαν, καὶ Θηβῶν ἐβασίλευσεν· τὲς δὲ πλησιοχώρης αἰφνιδίως ἐπελθόντας αὐτῶ, διὰ τὸ πανταχόθεν, ὡς ἀπὸ γῆς, συρρεῖν κατ' αὐτῆς, Σπαρτὲς ὠνόμασεν, ὡς Παλαίφατος ἐν πρώτῳ Φησι. Eusebius d. l. p. 121.: qui idem ibid. p. 123. f. repetiit verba n. 12. laudata τὰ κατὰ Δαίδαλον — ἐν πρώτῳ Ἀπίων.

XV. Palaephatus ille, cuius ex libris Ioh. Malelas ostendit se multa transfulisse in Chronographiae Opus, quemque fere, vel τὸν σοφώτατον χρονογράφον, vel simpliciter τὸν σοφώτατον vocat: vid. p. 26. 38. 48. 63. 75. 101. 267. Oxon.: nescio an sit Palaephatus historicus, quem Suidas ait fuisse Abydenum, aut potius Aegyptius.

XVI. Κύκλωπες δὲ ἐλέγοντο, ὡς μὲν Ἡσίοδος [Θεογ. 144. f.], ὅτι ἓνα ἔχον κυκλοτερῆ ὀφθαλμὸν ἐν τῇ ὄψει· ὡς δὲ Παλαίφατος, ὅτι κυκλοτερῆ τινα νῆσον ᾤκειν. Nonnus Συναγ. ἰσορ. 1, 65. p. 148. Eton. Sumta sunt verba ista haud dubie ex Opere nostri Palaephati de Incredilibus.

XVII. Ὅσοι ἐκ Μουσῶν τίκτονται· Ὁρφεὺς ἐκ Καλλιόπης, ἡ Κλειῶς· Ἀἴνος, Τερψιχόρης — Θαλείας, Παλαίφατος. Schol. min. Homeri ad Il. κ', 435. et Eustathius

thius ad Il. d. I. p. 817, 31. Rom. atque ex hoc Phavorinus. Lex. v. Ῥῆσον. Apertum satis videtur esse, significari Palaephatum, poetam epicum.

XVIII. Περί δὲ τῶν ταῖς Μῆσας ἐν τῇ Ἀττικῇ ἰδρύσθαι, ἀρκῇ [f. ἀρκῆ] τὰ Παλαιφάτε. Ὁ δὲ λόγος, ἐνθα Φησὶν, Ἐν ταῖς Ἀθήναις λέγονται αἱ Μῆσαι γεννησάσθαι, καὶ καταστήσασθαι πάσης σοφίας ἀρμονίαν. Λέγουσιν δὲ τὴν παιδείusin, παρὰ τὸ ἀρμόζεσθαι καὶ ἐνδύσθαι τῇ ψυχῇ ταύτῃ· ἢ ὅτι συγκεχυμένας ψυχὰς αὐτὴ ἐπισελθούσα εἰς ἀρμονίαν καὶ εὐσάφειαν εἰσάγει, σωφρονεῖν παρέχουσα. Scholiastes Eurip. ad Med. v. 831. Fieri potest, ut intellegatur Palaephatus is, quem Suidas ait scripsisse Λύσεις τῶν μυθικῶς εἰρημένων.

XVIII. Ὅτι δὲ ἐγένοντο οἱ ἵπποκένταυροι, καὶ γενναῖοι, καὶ δεξιοὶ κελητίζεν, καὶ ὅτι ληστρικῶς ἔζων, καὶ ἡ τῶν Παλαιφάτε ἰσορία Φησί [fab. I.]. Δῆλον δὲ, ὅτι Κένταυροι μὲν ἐκλήθησαν, διότι ταύρους ἀγριαυθέντας, καὶ πολλὰ περὶ Θετταλίαν βλάπτοντας, κατεκέντησαν· ἐνομίσθησαν δὲ σύνθετοι ἐξ ἵππων καὶ ἀνδρῶν, διότι, ἀρμακλατεῖν ἀφέντες, κελητίζεν ἐπετηδεύσαντο, ἥγαν ἀζεύκτοις ἵπποις ἐποχεῖσθαι· καὶ ἀρπάζοντες, εἴτα Φεύγοντες, καὶ κατὰ νότον βλέπομενοι, ἐφάνταζον τὰς πολλὰς, ὡς ἐξ ἡμισείας εἰσὶν ἄνθρωποι ἐγκεκεντρισμένοι ἵπποις· καὶ ἡ Φαντασία τὸν μῦθον ἀσείως ἀνέπλασε. Eustathius ad Hom. Il. α. p. 102. Rom.

XX. Περί μὲν Κενταύρων ζῆται Παλαίφατον [fab. I.]. Phavorinus Lex. v. Κενταύρος.

XXI. Παλαίφατος δὲ, Φασὶν, ἰσορεῖ, ὅτι Αἰνείας ἀνείλε τὸν Πρωτεσίλαον. Eustathius ad Hom. Il. β. p. 326, 4. Rom. Nimirum Palaephatus, scriptor Τρωϊκῶν.

XXII. Παλαιφάτῳ δὲ δοκεῖ ἀγαλμα Νιόβης ἐσάναι ὕλης σερεᾶς [fab. 9.]. Eustathius ad Il. ω. p. 1368, 8. Rom.

XXIII. Ὡς δὲ καὶ μῦθος τις ὑπεσι, λέγων, ὑπὸ Ἀπόλλωνος καὶ Ποσειδῶνος κτισθῆναι τὴν Ἴλιον· ὅθεν καὶ ἱερὸν πτολίεθρον Τροίης, ὡς θεόκτιστον, λέγεται. Θεραπεία δὲ τῶν μῦθων κατὰ Παλαίφατον, ὅτι κειμήλια Ποσειδῶ

σειδῶνός τε καὶ Ἀπόλλωνος εἰς ἀνοικισμὸν τῆς Ἰλίδος ὑπὸ
 Λαιομέδοντος δεδαπάνητο. Διὸ δοκεῖσι τρόπον τινὰ θη-
 τεῦσαι ὁ Ποσειδῶν καὶ ὁ Ἀπόλλων ἐν τῷ τῆς Ἰλίδος κτίσμα-
 τι. *Eustathius ad Odysf.* α' p. 1382, 47. *Rom.* Neque vero
 haec illius fabulae interpretatio dubitari recte potest, quin
 ex *Palaephati nostri libris* περὶ Ἀπίων *petita sit.*

XXIII. Ἐνταῦθα δὲ προσθετέον εἰπεῖν, ὅτι, καθά-
 περ ἐκὼς τὸ τῆς μύθου καχεκτῆν εὐρέ τι θεράπευμα, ἔτω
 καὶ τὰ ἐκῆσε παραπεπηγότα τέρατα, τὸ πολυκέφαλον,
 τὸ μυριόφθαλμον, καὶ τὸ τῶν ἑκατογχείρων, ἔχουσι καὶ
 αὐτὰ τὰς θεραπεύοντας· ὅποιοί τινες ὁ Παλαίφατος, ὁ
 Ἡράκλειτος, ἔχι ὁ Σκοτεινός, ἀλλ' ἕτερός τις, ὁ τοῖς
 ἀπίστοις προθέμενος ἐμφῆναι πίσιν, ὁ Χάραξ, καὶ ἄλλοι.
Eustathius ad Odysf. δ' p. 1504, 53. *Rom.*

XXV. Οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἐκ τῆς ἰσορήσαντος, ὅτι Σφιγξ
 γυνή τις ἦν εἰδεχθῆς περὶ πρὸς Βοιωτίαν, ληστρική καὶ Φο-
 νία, ὡς Παλαιφάτω δοκεῖ [*fab. 7.*]. *Eustathius ad Odysf.*
 λ' p. 1684, 21. *Rom. et Eudocia Ion.* p. 312.: *apud quam*
tamem legitur, ὡς καὶ Παλαιφάτω δοκεῖ.

XXVI. Σκοτεινός γάρ λόγος ὁ τοιοῦτος αἰνός ἐστιν, καθά-
 καὶ πᾶν αἶνιγμα. Καὶ ἴσως διὰ τῆτο Θηβαῖοι τὸν λόχον
 αἶνιγμα ἔλεγον, ὡς δημοῖ Παλαίφατος ἐν τῷ περὶ Σφιγ-
 γός [*fab. 7.*]. Βέλονται γάρ οἱ λοχῶντες κρύπτεσθαι
 καὶ λανθάνειν, ὡς εἰ καὶ ὑπὸ σκότῳ αἰανῶ ἦσαν. *Eusta-*
thius ad Odysf. ζ' p. 1769, 9. *Rom.*

XXVII. Εἰ δὲ γράφεται δρυὸς παλαιφάτης, ἐνδυμη-
 τέον, ὡς, ἐ' μόνον δρυὸς παλαίφατος, ἀλλὰ, ὁμωνυμίας
 λόγῳ, καὶ κύριον ἀνδρὸς σοφῆς, θεραπεύσαντος μύθους
 πρὸς ἰσορίαν· εἰς ὃ καὶ τις Ἡράκλειτος ἐπονῆσατο, ἔτι δὲ
 καὶ Χάραξ. *Eustathius ad Odysf.* τ' p. 1859, 43. *Rom.*

XXVIII. Παλαίφατος δὲ, ὁ Στωϊκός, ψυχρῶς μὲν,
 ὁμως δὲ ἀλληγορικῶς, ὁδόντας ἔχειν ἐλεφάντων τὸν Κάδ-
 μον λέγει [*fab. 6.*], ἐλθόντα ἐκ Φοινίκης, καὶ τέττας δια-
 σπείραντα συμμαχίαν σχεῖν κατὰ τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς.
Isaacus, vel potius Ioh. [v. *Neocorus ad Suid.* p. 473. *To. 2.*

et p. 23. To. 1.], *Tzetzes ad Lycophron. Alex. 1209. p. 156. Opor. p. 181. Steph.*

XXVIII. Ὁ δὲ σοφὸς Παλαίφατος, ἀνὴρ ἐκ περιπά-
της, Ἀληγορεῖ τεμμαχίον, ἢ μέρος τεμμαχίῃς· Γενναῖον
λέγων [*fab. 8.*] στρατηγόν, Ἀλώπεκα, τυγχάνειν, Καὶ τοῖς
Θηβαίοις πολεμεῖν σὺν ἀποστάταις ἄλλοις, Ὅνπερ ἀνείλε
Κέφαλος, κληθεὶς ἐξ Ἀθηναίων. *Ioh. Tzetzes Chil. 1. hist.*
20. v. 558. ff. Basil.

XXX. Ὁ Εὐρυσίχθων [Ἐρυσίχθων] πεπρακὼς βέ-
βρωκε τὰς ἀρῆρας, Πενία δὲ τρυχόμενος, λιμῶ τε παλα-
μναία, Προαγωγεύων τὴν αὐτῆ διέξῃ θυγατέρα, Τῆ μὲν
διδόντος χρήματα, τῆ δὲ τυχόν ἀρνίον, Ἄλλε διδόντος
λαγῶες, ὄρνιθας, χῆνας, κύκνους, Καὶ τῶν λοιπῶν ἐκ τῶν
λοιπῶν, ἵνα μὴ λόγους πλέκω. Οἶμαι δὲ, καὶ Παλαίφα-
τος ἔτως αὐτὸ διδάσκει [*fab. 24.*]. *Ioh. Tzetzes Chil. 2.*
hist. 47. v. 677. ff.

XXXI. Σὺν ἀδελφαῖς ἡ ἈλκΗΣΙΣ ἄκυσσα τὸν πατέρα,
Μηδείας δόλοισι, κτείναςα προσφεύγει τῷ Ἀδμήτῳ, Ὡς
καὶ νομίμοις ζεύγνυται γάμοις, ὡς ἀπὸ γένους. Ἀκασος
ταύτην ἀδελφὸς ἐξήτει τῷ Ἀδμήτῳ, Ὡς τιμωρίαν λά-
βοι τῆ φόνος τῆ πατρώας. Ἀδμήτης μὴ διδόντος δὲ, τῆτον
αὐτὸν κατέσχε, Σὺν παμπληθεῖ τῇ στρατιᾷ καταφέρων
στρατεύων. Ἀναίρεθῆναι δ' ὑπ' αὐτῆ μέλλοντος Ἀδμήτης,
ἈλκΗΣΙΣ δέδωκεν αὐτήν, Ἀδμήτης δ' ἀπελύθη, Καὶ συμ-
φορὰν τῆς γυναικὸς ἐθρήνευε, καὶ τὸ πάθος. Ἀλλ' Ἡρα-
κλῆς ἐπιφανεὶς πάλιν αὐτῷ κομίζει, Ἐκ τῆ θανάτου σε-
σωκὼς, καὶ τῶν χειρῶν Ἀκάς. Τῆτο τὸ ἀλχηγόρημα, τέ-
κνον ἐμὸν, μοὶ δοκεῖ· Οἶμαι τῆ Παλαίφατε δὲ, τῆ Στωϊ-
κῆ, τυγχάνει [*fab. 41.*] Κάλλισον ὄν, ἐχὶ σαθρόν, οἷα τὰ
πλείω γράφει. *Ioh. Tzetzes Chil. 2. hist. 53. v. 825. ff.*

XXXII. Τίνες δ' ἦσαν οἱ Κένταυροι, Παλαίφατος μὲν
λέγει. Πρὶν ἵπποις μονοκέλῃσιν ἐκέτι ἐπωχῆντο. Ταύ-
ρων δ' ἀγρίων Θετταλῶν τὴν χώραν σινομένων, Νέοι τινὲς
τῶν σθενερῶν κέλῃσιν ἐπιβάντες Τῆς ταύρας κατηκόντι-
ζον· ὥσπερ τινὲς ἰδόντες, Ὡς ταύρας ἀκοντίζοντας, ὠνό-
μασαν Κενταύρας· Ἴππομιγεῖς δ' ἐνόμισαν, ὡς πόρρωθεν
ιδόν.

ιδόντες. Χρή Κενταύρους τὸ λοιπὸν, μηδὲ Κενταύρους, λέγειν, Παλαίφαστε σοφώτατε. Τὰ Παλαιφάστε ταῦτα [*fab. 1.*] *Ioh. Tzetzes Chil. 7. hist. 1. v. 10. ff.*

XXXIII. Μῦθοι μὲν ταῦτα παλαιῶν, ψυχὰς κηλῆντες νέων. Μεγάλα δ' ἀβρυνόμενός τις ἐν ἀλληγορίαις, Παλαίφατος Φιλόσοφος, ἐκ Στωϊκῶν τῆ γενεῆς, Μηδὲν δὲ λέγων ἑδαμῶς τῶν ἐπαξίων λόγῳ, Πλὴν μόνον ἐν Ἀλκήϊδι, καὶν τέττω δὲ τῷ μύθῳ Τάλλα παρήκεν ἅπαντα, τὴν Ἥραν, Καὶ τὸν Δία, Μίξιν νεφέλης, Κένταυρον, καὶ κηλῆσιν τὴν Κενταύρε, Καὶ τῆ τροχῆ τὴν σφρέβλωσιν· λέγει δὲ τὰ Κενταύρων, ψυχρῶς καὶ ταῦτα πλὴν λαλεῖ, πρέποντα Παλαιφάτῳ, Καὶ Φιλοσόφῳ Στωϊκῷ, καὶ κομπολακυθῶσιν· Ἀνάξια τῷ Τζέτζη δὲ, τῷ ἀμαθεῖ ἐπάρχῳ. Λέγει ταύρε ἀγρίῳ γὰρ πελάσῃ Θετταλία, Τὴν χώραν, καὶ τὰ λήια, δεινῶς λυμαίνομένους, Νέους τινὰς δὲ σφεναρεῖς νῶτοις τῶν ἵππων βάντας Κατὰ τῶν ταύρων ἐκδραμεῖν, κεντεῖν ζυσοῖς δὲ τέτρε· Πόρρω τινὰς ἀγρότας δὲ τέτρε θεασαμένους· Οὕπῳ γὰρ ἦσαν κέλητες ἵππεῖς, ἀλλ' ἐφ' ἀρμάτων· Τρέχοντας λέγειν, Κένταυροι τῇ χώρᾳ νῦν ὀρεῶνται· Ἐρωτῶμένους, οἷοι δὲ οἱ Κένταυροι τελῆσι, Φάσκεν, Βροτοὶ ἵππομιγεῖς, ταύρε κατακεντῶντες. Ταῦτα μὲν ὁ Παλαίφατος. *Ioh. Tzetzes Chil. 9. hist. 21. v. 406. ff.: qui ibid. v. 441. Palaephatum ait ψευδάζειν, καὶ λαλεῖν ἑδὲν ἡκριβωμένως, additque v. 443. ff. haec, ἐκ ἀπεικὸς τέττο, Εἴ τις ἐν βίῳ ψεύδοιτο, μανθάκειν ἐν τῷ ἄδῃ, Καὶν γέρον, καὶν Φιλόσοφος, καὶν Στωϊκός, τυγχάνη.*

XXXIII. Τὴν ἱστορίαν εἶπον νῦν πᾶσαν σεναῶς, πλατέως. Νῦν δ' ἀλληγορητέον μοι τὸν δράκοντα, ὀδόντας. Ἀλλ' ἐκ ὀδόντας ἑδαμῶς ἀκῆσεις ἐλεφάντων, Ἀφάντε μύλε ἀλέσματα, καὶ λόγους Παλαιφάστε, Τῆ Στωϊκῆ, τῆ Φυσικῆ. *Ioh. Tzetzes Chil. 10. hist. 32. v. 422. ff.*

XXXV. Ὁ δὲ Παλαίφατος περὶ Ἀμαλθείας Φησί· Ὅτι Ἡρακλῆς ἀποδημῶν κατὰ τὴν Βοιωτίαν μετὰ Ἰολάῳ τῆ ἀδελφιδῆ καταλύει ἐν Θεσπιάῳς κ. τ. λ. [*vid. fab. 46.*] *Michaël Apostolius Paroem. 2, 86.*

XXXVI.

ger in Animaduersione ad Chron. Eusebii p. 49. a, praeter alia, annotauit haec: *Haec omnia de suo Orosius, et a Grammaticis, quiita de Centauris fabulati sunt: sed plus dicit, quam voluit Eusebius, et nihil eorum, quae Palaephatus, qui vult, Κενταύρες dictos eo, quod τὰς ταύρες ἐκέντρῃ.*

XXXXIII. In libro periodico, qui inscribitur Olla Portida, Vol. 1. Partic. 1. n. 4. p. 49. — 59. editus est locus longiusculus ex Opere scriptoris cuiusdam erotici, e Graeco in theotiscum conuersus, cuius Operis Codex asseruari dicitur in museo regio, quod est in vico, qui in lingua Etrusca nunc Portici vocatur. Fingitur ibi Enyxias quidam Atheniensis proposuisse statuam marmoream Centauri, de qua spectatores in utramque partem iudicarint, tacente Palaephato, cuius filius vocatur Strato, qui fertur carmina erotica ad fides ita cecinisse, ut Phaeitis, filia Enyxiae natu maxima, amore adulescentis capta sit. Ipsa vero orationis forma, ratioque narrationis, plane arguunt ingenium sophistae cuiusdam recentioris, ita, ut fragmentum istud Operis, in quo omnia ficta esse appareat, si quidem genuinum est, neque suppositum, nihil omnino ad aetatem, patriamque, auctoris libelli de Incredibilibus cognoscendam, definiendamque, valere quidquam possit.

ΠΑΛΑΙΦΑΤΟΥ

ΠΕΡΙ

ΑΠΙΣΤΩΝ

Α

ΠΑΛΑΙΦΑΤΟΥ

ΠΕΡΙ

ΑΠΙΣΤΩΝ •

Τάδε

* Non vnus est idemque huius Opusculi titulus in libris antiquis. Nam in Ald. legitur, *Περὶ Ἀπίστων Ἱστοριῶν* quam inscriptionem libelli retinuerit editor eius Basileensis, reliquique omnes, atque adeo nosmet ipsi in quatuor prioribus editionibus, Dresigii exemplo. Et confirmant sane hanc scripturam verba Eudociae Ion. p. 359., quae, *Παλαίφατος Πάριος, ἢ Πριηνεὺς*, inquit, — *ἔγραψε περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν βιβλία 6.* Codd. Cant. et Oxon. 3. habent, *ἐκ τῶν τῆ Παλαιφάτου περὶ τῶν ἱστοριῶν*, et Cod. 509. Venet. bibl. S. Marci, *ἐκ τῶν Παλαιφάτου περὶ ἱστοριῶν ἀρχαίων*. v. Catal. Codd. MSS. Grr. p. 273. Non male. nam est certe hic nunc libellus particula quaedam Operis, non totum Opus, Palaephati: quod quidem, auctore Suida, constat in libros quinque fuisse descriptum. Et in ed. Basil. legitur super paginis, *Παλαιφάτου περὶ μύθων*, vt laudatur hic libellus etiam ab Heinsio ad Ouid. Remedd. Amor. 453. At Index libelli, quem esse ostendimus in libris editis, e Codicibus scriptis bonis ductus, propius accedit

des casum Alceſtidis complexus eſt fabula peculiari, quae hodieque extat: ſed Phrynichi, et Antiphaniae fabulae huius nominis interiere.

Τράπεζα *Menſa* 23, 1.

Τρεῖς *Tres* 25, 1. etc.

Τρέπεσθαι εἰς τὸ ὄρος *Se conferre ſ. recipere in montem* 34, 2. * ὁ λόγος ἐπὶ τὸ ἀμήχανον ἐτράπη *Fabula rem ita detorſit, ut fieri non potuiſſe videatur: incredibilis efficta eſt fabula* 35, 3. Nam idem eſt, quod ὁ μῦθος ἀπίσως ἐπλάσθη 1, 12.

Τρέφειν κύνας *Alere canes ad venandum* [Terent. Andr. 1, 1. 30.] 3, 4.: vt ap. Xen. Ageſ. 9, 6.

Τρέχειν *Currere*: de equis, 22, 3.

Τριήρης ναὺς *Navis triremis* 21, 2. * τριήρης *Triremis*: ſimpliciter, 21, 2. 32, 14. Schefferus Obſeruatt. miſcc. Vol. 8. p. 309. *nauculam trium ſcalmorum*, τρίςκαλμον, intellegit, vt ap. Cic. Orat. 1, 38. eſt *duorum ſcalmorum naucula*. v. Scaliger ad Euseb. p. 66. a. recte. nam triremes Perſei temporibus nondum erant inuentae; quippe quarum inuentio inciderit in tertium ab Troiae excidio ſaeculum. v. Schefferus M. N. 1, 3. p. 28. add. Plin. H. N. 7, 56. et ibi Harduinus. At loquutus ſcilicet eſt Palaephatus

de naucula Perſei ita, vt eam appellarit vocabulo navis ſuorum temporum: vt Virgilius in Aeneide de nauibus Aeneae et Troianorum. Conf. Amnellius Antiquitt. rei naut. Græc. 1. 3. p. 51. bibl. Brem. nou. Claſ. 2. et Salmaſius Obſervatt. I. A. et R. c. 28.

Τρικαρχία *Tricarenia*: vrbs ad Pontum Euxinum, 25, 2. 40, 2. Hanc vero urbem ipſe Palaephatus finxiſſe videtur. Certe ignorant eam geographi, et hiſtorici, veteres omnes. Vnus Stephanus Byzant. laudat caſtellum, quod dictum ſit Τρικάρανα, in agro Phliuntis, opidi Sicyoniae, vel Argolidis, regionis Peloponneſi, ſitum. Verba eius haec ſunt: Τρικάρανα· Φρέριον τῆς Φλιασίας· Θεόπομπός πεντηκῶν πέμπτῳ. Τὸ ἐθνικὸν Τρικαρανεύς. Ab Demosthene ap. Harpocratonem vocatur Τρικάρανον. Verba eius, quae Suidas in ſuum Lexicon tranſtulit, ſunt iſta: Τρικάρανον — Φρέριον ἐστὶ τῆς Ἀργείας ἔτω καλέμενον.

Τρικάρηνος *Tricarenus*: ita dictus eſt Cerberus 40, 1.: et Geryones, 25, 5.: ab Tricarenia, vrbe Ponti Euxini. Nam Palaephatus Geryonen finxit habitafſe in Ponto, non in Hiſpania, vt alii.

Τρικέφαλος *Triceps*: de Geryone, 25, 1. pro quo 29, 2.

2. et 40, 1. est τρεῖς ἔχων κεφαλαίς. v. Suidas v. τρικέφαλος. Apud Herodo. 9, 81. sic legitur τρικάρηνος. Suidas: Τρικάρηνος ὁ πρὸς κεφαλαίς ἔχων

Τρίπους *Tripus*: mensa tripes in templo Apollinis Delphici, 50, 4. Sedisse in eo fertur Pythia [v. Nonnus Συναγ. ἱερ. 2, 14. p. 165. Eton.], responsa dans consulentibus, ornata, vt ipsa mensa, lauro. v. Spanhemius ad Callim. h. in Del. 90. Posita erat super profundo terrae foramine: v. Cic. de diu. 1, 50. 2, 57. et Strabo 9. p. 641. C: in medio fere Parnasso: quod in oracula patebat. v. Iustin. 24, 6. Species tripodis Delphici est ap. Dalium in de Oraculis p. 141.

Τρίτη *Tertius* [aditus] 29, 5.

Τροία *Troia*: vrbs, quae etiam *Ilium* dicitur, 12, 2. 17, 4. 38, 5.: vbi tamen accipi potest de agro vrbis. V. supra v. *Ιλιον.

Τρόπος *Consuetudo*: mos: modus: vt, τῷτον τὸν τρόπον *Hoc modo* 1, 7. *ὃν τρόπον *Quomodo* 34, 2. *τὸ τῷ τρόπῳ *Aequitas*: humanitas: nauicularii, qui inopes traicit gratis, diuites bene, 49, 2. Scilicet τρόπος, non semper omnes virtutes, et vitia, complectitur, sed saepe certum quoddam genus virtutis, et vitii, significat: quod reperiri indicio orationis

reliquae debet. Sic ap. Platon. Criton. 1. et Phaedon. 2. legitur de humanitate, quum quis fert res humanas aequo animo, atque adeo hilaris semper est, et otiosus. coll. Xen. Memor. 4, 8. 3.

Τροφή *Alimenta*: cibus: vitus: et hominum, et bestiarum, 1, 2. 4, 2. 29, 3. 53, 2.

Τρώες *Troës*: incolae vrbis, etiam agri Troiani, 17, 4. 38, 1. ff. Vrbs incolae dicuntur etiam Ἰλιεῖς 17, 3.

Τυγχάνειν *Esse*: casu, 15, 2.: vbi v. not. Nam quum proprie de iis dicatur, qui propositum tenent, et collineant, opponaturque verbo ἀμαρτάνειν, quod proprie aberrare a proposito significat: vid. Herodo. 1, 43. 3, 35.: hoc autem casu fiat, non necessario: facile intellegitur, sedem huius verbi esse in rebus tantum fortuitis, neque necessariis, iungique adeo illud verbis rerum fortuitarum, non item necessariorum.

Τύμβος *Tumulus*: sepulchrum: monumentum [Hygin. fab. 136.] 9, 1. 3.: vbi v. not.: 27, 1. Vocatur ita terra aggesta super corpus, quod in scrobe depositum iacet, in qua columella, cippus, ἐγλή, excitata stat. v. Herodo. 7, 117. V. Homer. 11. Xen. Cyrop. 7, 3. 6., in primisque Salmasius ad Solin. p.

858. f. Cicero Legg. 2, 26. *τύμβον* interpretatur *bu-
stum*. Gloss. vett. *Τύμβος*
Bustus [f. *buustum*], *tumulus*, *sepulchrum*. Hesychius:
Τύμβος τάφος, μνημεῖον.

Τύριος ἡ *Τυρία χώρα* *Ager*
Tyrius 16, 3. * *Ἡρακλῆς*
— ὁ λεγόμενος *Τύριος* *Her-
cules* — *cognomine Tyrius*
52, 1, Suidas: *Ἡρακλῆς*
— *Ἀνεφάνη δὲ ἐπὶ Μίνωος*
Ἡρακλῆς Τύριος, ὃς εὗρε τὴν
*βαφὴν τῆς καλυμένης κογ-
χύλης*. Laudatur etiam ab
Eustathio ad Dionys. Perieg.
558. ex Arriano.

Τύρος Tyrus: vrbs Phoenices
maritima, post Alexandri M.
tempora, antea insula, 16,
1. 3. 52, 1. 3. Vid. de ea
Strabo 16. p. 1097. f. Almel.
lou. et Plin. H. N. 5, 19.,
qui, *Nunc omnis eius nobi-
litas*, inquit, *conchylio, at-
que purpura, constat*: Re-
landus Palaeft. p. 1046. ff.:
Recherches sur la fondation
de la ville de Tyr hist. A-
cad. Inscriptt. Paris. To. 18.
p. 17.—33.

Τυρρηνία Etruria: *Tuscia*, vel
Thuscia: regio Italiae, 21,
1.: vbi v. not. V. Step-
hanus Byzant. h. v. et Tze-
tzas ad Lycophron. p. 160.
Opor.

Τυρρῆνοι Etrusci: *Tusci*, vel
Thusci: incolae Tusciae, 21,
2. Suidas: *Τυρρηνία* χώ-
ρα· καὶ *Τυρρῆνοι* οἱ λεγόμε-
νοι *Τῆσκοι*. Strabo 5. p. 335.
C: *Οἱ Τυρρῆνοι*. — *παρὰ*

τοῖς Ῥωμαίοις *Ἑτρῆσκοι*, καὶ
Τῆσκοι, προσαγορεύοντα.
Plin. H. N. 3, 5. *Etruria* —
*Vmbros inde exegere Pelas-
gi*: *hos Lydi, a quorum re-
ge Tyrrheni* [v. Herodo. 1,
94.], *mox a sacrificio ritu,*
lingua Graecorum Thusci,
sunt cognominati. add. Eu-
stathius ad Dionys. Perieg.
347.: *a quo dicuntur λητρι-
κὸν ἔθνος*, vt a Strabone 6.
p. 410. A commemorantur
τὰ λητήρια τῶν Τυρρηνῶν, et
ab Hygino fab. 134. *dicun-
tur piraticam fecisse*. Hesy-
chius: *Τυρρῆνοι*. — *αἱ λη-
τρικοὶ καὶ χαλαιοί*. Homer.
h. in Bacchum v. 6. ff. *Τά-
χα δ' ἄνδρες εὖσσέλιμα ἀπὸ
νῆος Ληϊτῶν προγένοντο* —
Τυρρῆνοι. v. Stephanus By-
zant. v. *Κύζικος*, et ibi Ber-
quellius: Diod. Sic. 5. p. 316.
To. 1. Rhod.: Philostratus
Iconn. 1, 19.: Suidas v. *τύ-
ραννος*. Conf. Ianus Parrha-
sius ep. 37. p. 766. To. 1.
Thes. Gruter.

Τ

Ῥαινα Hyæna: ferae quadru-
pedis Africae genus, cognatæ
lupis [*ein gefleckter Tie-
gerwolf*], 2, 2. Vid. Aristo-
teles H. AA. 6, 32. ibique
Scaliger p. 777. ff. et Bo-
chartus Hieroz. 1, 3. 11.
Gloss. vett. *Ῥαινα*, ζῶον, *Bel-
lua*. Hesychius: *Ῥαινα*
τετραῖπεν ζῶον. Suidas: *Ῥ-
αινα*. *θηρίον*. add. Plin. H.
N. 8, 30. Species eius est

ap. Pe. Bellonium Obseruatt.
2, 20. p. 220. Antuerp.

Ἰάκυνθος *Hyacinthus*: adulescens Amyclaeus, Apollinis et Zephyri deliciae, 47, 1. Disputauit de eo Heinius V. C. P. 1. libelli, qui inscribitur *Antiquarische Auffaetze*. * nomen floris, 47, 5.: de quo v. Salmasius ad Solin. p. 860. f. et Hyl. iatr. c. 22.: Stapelius ad Theophrasti hist. plantt. 6, 7. p. 710. ff.

Ἵβριζεῖν εἰς τὸ θεῖον *Violare numen diuinum: impium esse aduersus deum* 3, 3. Qui quidem locus aduersatur praecepto eorum, vt Luciani Soloec. p. 760. To. 2. Graeu., qui dicunt ὑβρίζεῖν εἰς τινὰ esse contumelia, iniuria, afficere ea, quae ad aliquem pertineant quocunque modo: quod genus liberi, familia. Alii loci sunt ap. Pausan. 1, 23. p. 55. et ap. Eurip. Phoen. 633. Aristoph. Nubb. 1508. Plut. 900.: vbi v. Kusterus, itemque Graeuus ad Lucian. Soloec. p. 759. To. 2. Graeu.: Marclandus ad Lyfian p. 433. et Barlaeus ad Lucian. Timon. p. 81. To. 1. Graeu.

Ἵβριστης *Contumeliosus: iniurius: insolens: immodestus* 1, 8.: vbi coniungitur cum Adi. ὑπερήφανος, vt ap. Anton. Liber. c. 15. init. Iegitur ὑπερήφανοι καὶ ὑβρισταί. Rom. 1, 30. ὑβριστὰς,

ὑπερηφάνης et ap. Cic. p. Marc. 3. in victoria, quae natura insolens et superba est. Scilicet res secundae, atque adeo diuitiae, opes, potentia, pariunt superbiam, ὑπερηφανίαν. haec excitat insolentiam, ὕβριν. v. Xen. Cyrop. 8, 4. 7.: vbi ὕβρει opponitur σωφροσύνη. 3, 1. 15. 5, 2. 13. 7, 5. 22. 8, 6. 1. 8. Aristoph. Plut. 564.: Eustathius ad Odyf. α. p. 1413. Rom.: Gataquerus ad Antonin. 10, 19. p. 302.: Casaubonus ad Theophr. Charr. 24.: Carpzouius Obseruatt. in Palaephat. c. 10.

Ἵγχιενὸς *Sanus* 44, 3.

Ἵγχις *Sanus* 27, 3. Moeris: Ἵγχιᾶ, Ἀττικῶς ὕγιῃ, Ἑλληνικῶς. Gregorius in de Dialectis p. 70. f. Ἀττικῶν δὲ καὶ ἀντὶ τῆ εὐφυσίᾳ, ὕγιῃ, εὐφυσῆ καὶ ὕγιᾶ λέγειν. vbi v. Koenius: et Albertius ad Hesych. p. 1458. To. 2.

Ἵδρα *Hydra*: serpens Lernaeus, 39, 1. v. Hyginus fab. 151. * nomen opidi, quod paruit Lerno, 39, 3. 6.

Ἵδὸς *Filius* 13, 1. 45, 3. 53, 3.

Ἵλη *Materies: ligna: arbores* 34, 4.: vbi paulo ante est ξύλα.

Ἵλοτόμος *Lignicida: lignator* 29, 6. Hesychius: Ἵλοτόμος ξυλοτόμος. Schol. Hom. ad ll. ψ, 114. ὕλοτόμας πελέκας ξυλοτόμας. Ἵπ.

ὑπακούειν *Obtemperare* 17, 4. Construitur cum Genitio personae.

ὑπαντιάζειν *Occurrere* 38, 6.: vbi v. not. Construitur cum Datio personae. Simplex verbum ἀντιάζειν est ap. Herodo. 4, 80. 118.

ὑπάρχειν *Esse* 1, 2. 8. 2, 6. etc. * λόγος περὶ αὐτῶν κδεῖς ὑπῆρχεν *Nihil de iis dictum esset* prooem. 2. * τὰ ὑπάρχοντα αὐτῇ *Bona, fortunae, eius* 45, 1. Sic Luc. 8, 3. αἰτίνας διηκόνεν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς: vbi in Cod. Cantabrig. Bezae pro αὐταῖς male legitur αὐτῶν: ex quo in Cod. Bodl. 2. exitit αὐτῷ. Esth. 8, 1. ὅσα ὑπῆρχεν Ἀμάν τῷ διαβόλῳ. Xen. Cyrop. 8, 4. 15. ὅσα μὲν οἶον τ' εἶναι ἰδεῖν τῶν ἐμοὶ ὄντων: sed pro τὰ ὄντα ibidem legitur ἡ ἐσία.

ὑπὲρ αὐτῆ *Pro eo: loco eius* 41, 1. Nam ὑπὲρ idem est, quod ἀντί. Anton. Liber. 25. p. 168. ἐκῆσαι τὸν ὑπὲρ αὐτῶν θάνατον ἐδέξαντο. V. supra v. αἰρεῖσθαι θάνατον, et Raphaelius ad Rom. 5, 8.

ὑπεραποθνήσκειν *Mori pro: sequente Genitio personae*, 41, 5.: de Alceste: de qua ipsa Plato Sympof. 7. vsus est verbis ὑπὲρ τῆ αὐτῆς ἀνδρός ἀποθανεῖν et Apollod. 1, 9. 15. verbo ὑπεραποθνήσκειν, quod certe in Codd. vett. legitur: et ap. Xen. Cyneg. 1, 14. est Ἀντίλοχος

δὲ τῆ πατρὸς ὑπεραποθανεῖν. V. supra v. αἰρεῖσθαι θάνατον.

ὑπερέχειν *Eminere: extare: superare* 17, 2. Intell. τῶν πυλῶν. v. Herodo. 2, 97. Xen. Cyrop. 6, 2. 7. 7, 5. 5.

ὑπερήφανος *Arrogans: superbus* 1, 8. V. supra v. ὑβριστης.

ὑπερφέρειν *Excellere: superare* 28, 2. Construitur cum Genitio personae, et cum Praepositione ἐν, sequente Ablatio rei: sed Praepositio ἐν ab aliis scriptoribus fere omittitur: v. Herodo. 9, 96.: et pro Genitio personae Accusativum addit Eratosth. Κατας. 40.

ὑπήκοος τὸ ὑπήκοον πλῆθος *Cives* 52, 6.

ὑπνος *Somnus* 51, 4.

ὑπὸ 1) cum Genitio: vt, ἐπὶ μέλιτος θνήσκειν *Melle confici s. mori* 27, 4.: pro quo ibid. 1. est ἐπὶ τῷ μέλιτι. Nam verba Neutra vim Passivorum habentia sequuntur constructionem Passivorum. * *prae* 47, 3. * cum Passivis coniungitur passim, vt 3, 1. 7, 3. etc. 2) Cum Datio: vt, ὑπ' αὐτῷ *Prope eum* 29, 5. 3) Cum Accusativo: vt, τὰ ὑπὸ γῆν *Ea, quae sunt sub terra*, 10, 1. 3.: vt ap. Plat. Phaedon. 60. Pausan. 9, 20. * ὑπὸ τὴν γῆν *Sub terram* 10, 2. * μηδένα ὑπὸ τὴν αὐτῆ βασιλείαν ὄντα *Neminem suorum civium* 52, 5.

Τ 5

Ἵπο

Υποδέχασθαι *Excipere hospitio* 5, 1. Sic legitur etiam ap. Apollod. 1, 9. 1. 18. 23. 2, 7. 7. 3, 5. 1. Luc. 19, 6. coll. v. 5.: sed Aët. 28, 7. est ἀναδέχασθαι. Ap. Athen. 6, 21. p. 274. C significat conuiuio excipere.

Υποδύω· ὑποδύσα θάαν ἀνδρά-
πε γυναικὸς ἢ ἡ γειγρακυσίας
Mutata in anus formam
[Seru. ad Aen. 3, 279]
49, 2.

τὰ Ὑποζύγια *Iumenta* 1, 3. Ap.
Xen. anab. 2, p. 112. in ὑπο-
ζυγίοις ponuntur βῆς et ὄνοι,
et ap. Aelian. V. H. 12, 37.
κάμηλοι.

Υπολαμβάνειν *Putare: credere*
11, 1. 45, 4. * *existimare:*
collegere 25, 5. v. Phauori-
nus h. v.

Ὑπόμνημα *Monumentum* 47,
5.

Ὑπόπτερος *Alatus: pennatus*
Gloss. vett.: *ales* [Horat. 4.
Od. 11, 26.]: *pennis fugax*
[Ouid. Met. 4, 784.]: de Pe-
gaso, 29, 1. Lucian. Somn.
p. 10. To. 1. Graeu. δείξασά
τι ὄχημα ὑποπτέρων ἵππων
πινῶν, τῷ Πηγάσῳ ἐρικτόν.
Ab Apollodoro 2, p. 89. di-
citur πτηνός, vt a Strab. 8.
p. 582. B: sed ab Asclepia-
de ap. schol. Hom. ad Il. ζ',
155. vocatur πτερωτός. * de
equis Pelopis, 30, 1. 3.: qui
etiam a Pherecyde ap. schol.
Sophoclis ad Electr. 506.
dicuntur ὑπόπτεροι ἵπποι.
Pausan. 5, 17. p. 420. τοῖς

τῷ Πέλοπος [ἵπποις] ἔτι πε-
φυκότα καὶ πτερὰ.

Ὑποσρέφειν *Redire: reuertē*
1, 6.

Ὑποτάσσειν *Parere* 2, 6.
* *υποτετάχθαι* *Parere* 39,
3. Praeteritum Passiuium ha-
bet vim Medii.

Ὑποτελεῖς *Stipendiarii: tribu-
tarii* 53, 3. Sic ap. Isocrat.
Encom. Hel. p. 127. To. 2.
Bat. ὑποτελεῖν φόρον est pen-
dere tributum.

Ὑποχωρεῖν *Retrocedere: rece-
dere: cedere* 8, 4.

ἡ Ὑπώρεια *Loca, regio, quae
est ad radices montis [Pelii],*
1, 5.: vbi v. not. Intell.
χωρά. Hesychius: Ὑπώ-
ρεια· τὸ κάτω μέρος τῷ ὄ-
ρεος. Schol. Hom. ad Il. υ',
218. Ὑπώρειας· τὰ κάτω
μέρη τῶν ὄρων. v. Demetrius
Phaler. περὶ Ἑρμην. f. 79.
Etymol. M. et Suidas: Ὑ-
πώρεια· ἡ ὑπὸ τὸ ὄρος πε-
διάς. Apollon. Soph. Lex.
Homer. p. 814. Ὑπώρειας·
τὰς πρὸς τοῖς κάτω μέρεσι
τῷ ὄρεος· intell. τόπος. v.
Herodo. 7, 129. 199. 9, 19.
25. Ioseph. Archaeol. 3, 4.
init. Strab. 7, p. 508. et p.
511. B.

Ὑριεύς *Hyrieus: filius Neptu-
ni et Alcyones*, 5, 1. V.
Eratosthen. Κατασ. 23. et
schol. Hom. ad Il. β', 496.

Ὑφίστασθαι *Supervenire: ac-
cedere clam* 48, 1.: vbi v.
not. Thomas Magister, et
ex eo Phauorinus; Ὑφίστα-
μαι

μιαμ — ἀντὶ τῇ καυφίᾳ ἰ-
ταμαμ — Sic Eustath.
amorr. Ismen. 5. p. 150. καὶ
μέσοις τέτοις ἢ τῇς κόρης μῆ-
τηρ ὑφίσταται.

Υψηλὸν ὄρος *Altus mons* 29,
5.: vt Matth. 4, 8. 17, 1.
Marc. 9, 2.



Φαγεῖν πόαν *Comedisse herbam*
28, 1.

Φάινεσθαι *Videri* 44, 2. * *ap-
parere* 1, 11.

Φάρυγξ *Fauces: gula* 1, 2.
Pollux 2, 207. ὄγε μὴν Φά-
ρυγξ, τομάχῃ ἐστὶν ἀρχή. v.
Praxagoras ap. schol. Hom.
ad Il. χ', 325. Plin. H. N.
11, 37. Etymol. M. v. λά-
ρυγξ, et Foësius Oecon.
Hippocr. h. v. Herodi. Phi-
let. p. 212. Pau. p. 475. Pierf.
τὸν λάρυγγα ἀρσενικῶς, τὴν
Φάρυγγα θηλυκῶς. Phryn.
p. 22. Pau., et ex eo Phauo-
rinus: Ὁ Φάρυγξ ἀρσενικῶς
μὲν Ἑπίχαρμος λέγει· ὁ δὲ
Ἀττικὸς ἢ Φάρυγξ. add.
Tho. Mag. v. τὸν Λάρυγ-
γα.

Φαῦλον *Stultum: ineptum: ri-
diculum* 36, 1. Idem, quod
εὐχδεσ, ἀνόητον, γελοῖον.

Φάων *Phaon: nauicularius*, 49,
1. ff.: vbi v. not. Ab aliis
traditur fuisse Mitylenaeus:
v. Suidas v. Σαπφὼ Λεσβία·
ab aliis Chius, vt a Lucia-
no nauigg. p. 512. To. 2.
Graeu.

Φεράη *Pherae: opidum Thessa-
liae*, 41, 2. Stephanus By-

zantium: Φεράη πόλις Θεσ-
σαλίας —. add. Cic. de din.
1, 25. Plin. H. N. 4, 8. et
Strabo 9. p. 666.

Φέρεν *Ferre: portare* 8, 1. 46,
1. Neglegitur enim saepe
discrimen, quod proprie est
inter verba ἄγειν, et Φέρειν,
quorum hoc Grammatici [v.
Ammonius v. ἄγειν] tradunt
poni ἐπὶ ἀψύχων, illud ἐπὶ
ἐμψύχων. vid. Eustathius
ad Il. α' p. 57. et ad Odyf. α'
p. 1399. Rom. et Schraderus
animaduertit. ad Musaeum
c. 1. p. 128. f. Sic Matth.
17, 1. et Marc. 9, 2. est ἀνα-
Φέρει αὐτὰς εἰς ὄρος ὑψηλόν·
quibus in locis pro ἀναΦέ-
ρει Cod. Cantabrig. Bezae
habet ἀνάγει· quod videtur
a Grammaticis adscriptum
fuisse. * de tempore, quo
quid fit, quod fieri aliquid
iubet, 51, 3. Qui quidem
locus illustrat locum Theo-
phrastii Charr. 4, 4.: vbi ἄ-
γροικος quaerit, εἰ σήμερον
ὁ ἀγὼν νεμηνίαν ἄγει, pro εἰ
σήμερον ἢ νεμηνία ἄγει ἀγῶ-
να. * *in utero gestare* 2, 3.
* *gestare: de equo*, 29, 1.
* Φέρειν βαρέως *Ferre gra-
uiter* 46, 3. * Φέρεται λόγος
Fertur fabula 32, 1. * ἐν-
σχδεῖς *Repercussus [discus]*
in vultus Hyacinthi [O-
vid. Metamm. 10, 184. f.]
47, 4.

Φεύγειν *Fugere* 1, 9. 6, 4. 7.
43, 3.

Φημι *Aio: fero* 3, 1. 15, 2. 16,
1. etc. * Φημι *Nego* Gloss.
vett.

vett. 2, 2. Qua quidem forma loquendi delectati sunt maxime Attici [Aristoph. Plut. 509. Plato Sympof. 22. extr. Xen. Cyrop. 2, 1. 2. 5, 5. 2. 6, 1. 19.], praeuentibus Homero [Il. 7, 393.], et Herodoto [1, 112. 2, 50. 4, 76. 8, 113.]. Redolet enim singularem quandam humanitatem et urbanitatem. vid. Heraldus ad Iamblich. V. Pythag. c. 6.: Ducquerus ad Thucyd. 2, 52. p. 536.: Valquen. ad Phalar. opp. p. 18.: Loefnerus V. C. Ind. Callim. h. v. * *Φασὶ Αἰὺν* 18, 3.: pro quo ibid. f. 1. est *λέγουσιν*. Sed 48, 2. et 51, 4. *Φασιν* interpositum est orationi simpliciter pro *ὥς Φασιν* 29, 2. vid. ad Plat. Phaedon. 13, 55. * *ὥς ὁ μῦθος Φησι* *Vt fabula fert* 41, 5. * *iubeo*: sequente Infinitiuo, 32, 2.

Φθία Phthia: opidum Thessaliae, eiusque ager, 31, 8. Stephanus Byzantius: *Φθία πόλις καὶ μοῖρα Θετταλίας*. vid. Strabo 9. p. 659. f. add. Harpocratio v. *τετραρχία*, et Spanhemius ad Callim. h. in Del. 112.

Φίβλαι Fibulae 52, 7. *Φίβλα* enim est vocabulum Latinum, frequentatum ab scriptoribus posteriorum temporum pro verbis *πόρπη* et *περόνη*, quibus antiquiores scriptores vsi sunt. Hesychius: *Φίβλα πόρπη — περόνη*. Suidas, et ex eo

Phaenonius: *Πόρπη ἡ παρὰ Ρωμαίοις Φίβλα*, Hesychius: *Ἐμπορπεῖσθαι Φίβλεσθαι* item: *Πόρπη — Φίβλα, ἡ τῆς χλαυίδος ἡ περόνης*. Suidas: *Ἐκπορπεῖσθαι ἐκΦίβλεσθαι*. vid. Meursius, et Cangius, Glossar. in v. *Φίβλα* et Salmasius ad Trebel. Pol. p. 303. a Paris.

Φιλεῖν Amare: de cane, 3, 1. * de Apolline, 50, 1. * de Daphna pudicitiae studiosa, 50, 2.

Φίλοι Amici 4, 3. 6, 3.

* *Φιλοκύνητος Venandi studiosus*: de Actaeone, 3, 4. Poterat hoc loco vti in Thesauro Stephanus, et Pollux 6, 166. — 168. poterat indiculum vocabulorum e *Φίλος* compositorum augere hoc ipso verbo. notauit enim ibi tantum vocabula *Φιλόδηρος* [f. 168.] et *Φιλοκυνηγέτης* [f. 167.]: vt 5, 9.

Φιλονειμία Certamen: pugna: quatenus quis id agit, vt alterum vincat: de Marfya cum Apolline arte tibiis canendi certante, 48, 3. Hesychius: *Φιλονεικος μάχισμος, Φίκερις Φιλονειμία γὰρ ἡ μάχη*.

Φιλόξενος Hospitatis 5, 1. Est etiam ap. Pollucem 6, 167. in indiculo verborum e *Φίλος* compositorum.

ο *Φιλόσοφος Philosophus*: sapiens: de Hercule Tyrio, 52, 1. * *Φιλόσοφος δυνατὸς Philosophus doctus* f. *magnus*:

VERBORVM GRAECORVM

gnus: de Helio, rege Aegypti, 53, 4.

Φιλότιμον εἶναι *Placere studere: cupide hoc agere, ut ameris: gratiam alicuius captare re aliqua*: sequente Praeposit. ἀπό, et Genitiuo rei, 47, 1. Etiam verbum Φιλοτιμείσθαι interdum de iis ponitur, qui enixe aliquid, magnoque studio, agunt, vt ap. Aelian. V. H. 9, 29.: more scilicet eorum, qui ambiunt honores.

ΦιλοΦροσύνη *Liberalitas: humanitas*: de Hyrieo, excipiente hospitio deos, 5, 2. Nam hoc nomen, vt verbum ΦιλοΦρονεῖσθαι, ponitur de iis, qui alios excipiant comiter et liberaliter, h. e. ita, vt amorem erga eos suum declarent, vel oratione blanda et humana, vel re ipsa. v. Xen. Cyrop. 8, 2. 2. Hesychius: ΦιλοΦρονῆμαι· δεξιῶς καὶ προθύμως εἰσδέχομαι, ἢ ἀποδέχομαι. Zosimus 3, 18. 15. ἐφ' οἷς ὁ βασιλεὺς ΦιλοΦρονέμενος τὸ πρᾶτευμα, λόγοις τε καὶ ἡκισιν ἐτίμα, καὶ ἑκάστον ἀργυροῖς ἑκατὸν νομίσμασιν ἔδωκεν. Iam vero Hyrieus fertur diis apposuisse etiam cibos et vinā. v. Ouid. Fasti. 5, 509. f. Sic Actt. 28, 7. ὃς ἀναδεξάμενος ἡμᾶς, τρεῖς ἡμέρας ΦιλοΦρόνως ἐξένισεν.

Φινεύς *Phineus*: rex Paeoniae, 23, 2. Ab aliis vocatur ὁ Θράξ· vid. Pausan. 5, 17.

extr.: et μάντις, qui habitavit Salmydessi, vrbe Thraciae. v. Apollod. 1. p. 57. Lucian. differt. c. Hesiod. p. 487. To. 2. Graen. Ab Apollonio Rhod. 2, 178. dicitur Ἀγηνορίδης Φινεύς· sed alii eum Neptuni, alii Phoenicis, filii Agenoris, filium fuisse perhibent. v. Apollod. d. l., et schol. Apol. Rhod. ad d. l., cuius verbis Lexicon suum auxit Phauorinus v. Φινέα.

Φοβέσθαι *Timere* 32, 2.

Φόβος *Metus* 47, 2.

Φοινίκη *Phoenix*: regio Asiae maritima, 52, 5.

Φοίνιξ ἀνὴρ *Phoenix*: e Phoenice oriundus, 6, 2. Stephanus Byzantius: Φοινίκη· ἡ χώρα, ἀπὸ τῆς Φοινίκας γενικῆς — ὁ δὲ Φοίνιξ ἦν Ἀγηνόρος παῖς — τὸ ἐθνικὸν τῷ ὀνόματι τῶ οἰκιστῇ Φοίνιξ — * nomen fratris Cadmi, filii Agenoris, qui, Agenore mortuo, accepit Tyrum, 6, 2. 52, 1. 3. 5. v. Apollod. 3, 1. 1. * nomen patris Europae, qui idem esse videtur cum Cadmi fratre, 16, 1.: vbi v. not. et Apollod. 3, 1. 1.

Φορεῖν *Gestare*: de Amazonibus tunicas talaris gestantibus, 33, 1. add. 52, 4. ff.

Φορεῖα *Vestis*: pallium 52, 5.: vbi f. 4. dicitur περιβόλαιον.

Φόρκυν *Phorcyn*: rex, cui paruerunt Columnae Herculis, 32, 1. 5. 6. 7. 9.

Φόρος

INDEX PRIMVS

Φόρος *Tributum* 38, 3.

Φορὸν πνεῦμα *Ferens* [Plin. Paneg. 31, 4. Virg. Aen. 4, 430.: vbi v. Tatibmanus], h. e. *secundus* [Sen. de V. beat. 22. *secundus et ferens ventus*: vbi v. Lipsius], *ventus* 21, 3.: vbi v. not. Hoc vocabulum est in appositis venti ap. Polluc. 1, 105. Thomas Magister, et ex eo Phauorinus: **Φορὸς ἄνεμος**: ὁ τοῖς πλέυσι δαξίος —. Vid. Vuesselingius ad Diod. Sic. p. 685. To. 1. et Doruillius ad Charit. p. 312. et 661.

Φράζειν *Suadere*: *auctorem esse*: *hortari*: sequente Infinitino, 17, 3. * τὸν τὴν σωτηρίαν αὐτῷ Φράσαντα *Salutis suae auctorem* 31, 4. * *indicare*: *ostendere* 18, 2. 32, 2. 12. * εἰ Φράζειν *Negare* 32, 13.

Φρίξος *Phrixus*: frater Helles, Athamantis filius, 31, 4. 7. 9. ff. Scribitur etiam **Φρύξος**, vt in notis ostendimus. **Φρίξον**, fabulam Euripidis, laudat, praeter alios, Eratosth. *Katas.* 14.

Φρερεῖν *Custodire*: *praesidiari*: de militibus praesidiariis opidi Lerni, regis, 39, 3.

Φρυγία *Phrygia* magna: Asiae regio, 48, 4. Incolae eius ibidem dicuntur **Φρύγες**.

Φρύγιος ἀνὴρ *Phryx* 29, 4.: vbi v. not. Stephanus Byzantius: **Φρυγία** — τὸ ἐθνικόν, **Φρύξ, καὶ** **Φρύγιος** —.

Φυγή *Fuga* 50, 2.

Φυγὰς ἀνὴρ ἐξ Ἀργεὺς *Exul Argiinus* 32, 10. Sic **Φυγὰς Σαμῖος** est ap. Xen. anab. 1. p. 65.: sed hist. Gr. 3. p. 384. dixit οἱ ἐξ Ἡλίδος **Φυγαῖδες** et ap. Pausan. 5, 6. p. 388. est **Ξανοφῶντι** — τῷ Γρύλλῳ, **Φυγαῖδι** ἤδη γεγονότι ἐξ Ἀθηνῶν et 5, 3. p. 381. *συναπαπτῶναι δὲ τῷ Ὀξύλλῳ* **Φυγαῖδι** ἐξ Αἰτωλίας *ἔναυ*. add. Isocrates Euag. c. 4. Hesychius: **Φυγὰς**: *ἐξορίας*. Paraphr. Eurip. Phoen. 331. pro **Φυγὰς** vsus est vocabulo *ἐξόριστος*. Schol. Sophoclis ad Electr. 777. **Φυγὰς**: ἀπὲρ τῷ **Φυγῶν**. **Φυγαῖδες** γὰρ κυρίως οἱ διωχθέντες ἀπὸ τῆς οἰκείας πατρίδος. add. Pollux 9, 158.

Φύειν: ὁ πεφυκὸς κύργος πρὸς τῇ Τύρῳ *Turris, quae erat ad Hydran*, 39, 6.

Φύλαξ *Custos*: de dracone, 19, 5. Apud Lucian. p. 298. To. 2. Reit. dicitur ὁ **Φρερός** τῆς *Χρυσηὶς ὑπῆρας*.

Φυλάσσειν, et **Φυλάττειν**, *Custodire*: de militibus, 18, 3. * de dracone mala Hesperidum aurea custodiente, 19, 1.

Φύλλα *Folia* 37. 47, 5.

Φυλαίτης *Claua*: Herculis, ita dicta ab **Φύλλοις**, 37. Vid. locus Pausaniae in notis laudatus.

Φύσις *Natura*: *species* 21, 1. Idem enim est, quod *ἰδέα* fab. 1, 2. Vid. Proluff. in Palaeph. 3, 8. * τὸ *θνητὴν ἔχων*

ἔχον Φύσιν *Mortale*: *natura mortalis* 29, 3. * Φύσις ἵππου *Natura equi* 1, 2. * πυκνότεροι τὴν Φύσιν *Ingeniosiores*: *solertiores* prooem. 1.

Φυτόν *Frutex*: *laurus*, 50, 3.

Φωκίς *Phocis*: regio Graeciae, Boeotiae finitima, 6, 3. Stephanus Byzantius: Φωκίς· χώρα περὶ τὸν Παρνασσόν —.

Φωνή *Vox* 7, 1. 14, 2.

X

Χαλκός *Aes* 10, 2.

Χαλκῆς· χαλκῇ γενεᾷ *Aenea aetas* 36, 2. * χαλκῆν τεῖχος *Aeneus murus* 18, 3. Moeris: Χαλκῆς καὶ χαλκῇ, ἀδικυρέτως, Ἀττικῶς· χαλκεος, χάλκεα, Ἑλληνες· et: Χαλκῆν, χρυσῆν, Ἀττικῶς· διαλελυμένως δὲ Ἑλληνες· quae posteriora verba Pierfonius in suo exemplo addidit e Cod. Coisl. Reg. et Gronou.

Χάσμα τῆς γῆς μέγα *Hiatus terrae magnus* 29, 5. Sic Herodo. 7, 30. Λύκος ποταμὸς εἰς χάσμα γῆς ἐσβάλλων. * *profundum* terrae *foramen* in planitie exigua, quae erat in rupis anfractu, media ferme Parnassi montis altitudine, quod in oracula patebat [Iustin. 24, 6. 9.] 50, 4. Vocatur sic etiam ab Apollod. 1, 4. 1. Loci classici eam in rem sunt ap. Strab. 9. p. 641. Almel. et Diod. Sic. 16. p.

427. f. To. 2. Rhod. add. Alexander Neapol. DD. GG. 6, 2. p. 398. To. 2.

Χείλη *Labia* 48, 2.

Χειμάζεσθαι *Tempestate iactari*: de naui, 28, 3. De nautis hoc verbum legitur Aët. 27, 18. et ap. Apollod. 3, 4. 3.

Χειμὼν *Tempestatas* 28, 3. Sic legitur Aët. 27, 20.; ap. Polyb. 1, 37, 39. et Aelian. V. H. 9, 20. 30. v. Muncquerus ad Anton. Liber. 26. p. 175. Verh.

Χεῖρες *Manus* 20, 1. 50, 3.

Χερσαῖον ζῶον *Terrestris animans* 8, 1. * τὰ χερσαῖα *Animantes terrestres* 28, 1.

Χίμαιρα *Chimaera*: nomen monstri, 29, 1. f. * nomen montis Lyciae, 29, 6. 8, Plin. H. N. 5, 27. *In Lycia — mons Chimaera, noctibus flagrans*. De Chimaera disputatio Critica edita est Berolini a. 1703. 4. a Pe. Penauaereo.

Χίμαιρα *Chimaera* [Hygin. fab. 151.]: *capra* 29, 2. quae ibidem 3. dicitur αἴξ, vt ab Apollod. 2, 3. 1. Gloss. vett. Χίμαιρα, ἡ αἴξ, *Capra*.

Χιτῶνες ποδήρεις *Tunicae talares* f. *longae* [Gell. 6, 10.] 33, 1. Nam χιτῶνες ibi ponuntur in ornatu muliebri. Atque tum isto vocabulo *stola* significatur, quae ap. Aristoph. Plut. 985. χιτῶνιον dicitur. vid. Anacreon. Od.

Od. 20, 7. et Aelian. V. H.
12, 1. Conf. Pollux 7, 49.

Χολή Bilis 27, 2.

Χόρτος Gramen 4, 1.

Χρή Oportet: decet 31, 6.

Χρήματα Opes: bona 6, 4. 7,
6. 23, 4. 24, 2. * pecunia:
aurum 1, 4. 8. 7, 8. 31, 9.
32, 14. * merces: medici,
27, 3. * negotia: res 31,
8.: vbi v. not. et Proluss. in
Palaeph. 2, 3.

Χρήσθαι Vti 32, 1. * χρήσθαι
ἅρμασιν Vti curribus 1, 5.
* χρήσθαι πνεύματι Φορῶ
Vti vento secundo 21, 3.
add. 27, 3. 29, 3. 32, 9. 38,
3. 44, 3. 48, 2.

Χρῆσθαι Linere ora 35, 2.

Χρόα Colores 52, 6.

Χροιά Color 52, 4.

Χρόνος Tempus 51, 3. * ὁ χρό-
νος τῆς ἀλγηδὸνος τῶν αἰδοίων
Tempus morbi genitalium 2,
5. * τοσῶτον χρόνον Tam-
diu 31, 3. * κατὰ τὸν δέον-
τα χρόνον Iusta s. suo tem-
pore 38, 5.: vbi etiam est
καθ' ὃν χρόνον Quo tempore.
* πλείονα χρόνον Diutius 46,
3. * μετὰ χρόνον Non ita
multo post 14, 3. * χρόνοι
Tempora 18, 2. * ἐν τοῖς
χρόνοις τῆς βασιλείας τῆ
Φοίνικος Aetate Phoenicis
regis 52, 1. Nam χρόνος
differt fere a καιρῶ sic, vt
χρόνος censeatur spatio,
καιρὸς opportunitate.

Χρυσὴ εἰκών Aurea statua 31,
9. 11. add. 32, 6. * χρυσῶν
δέρμα Aurea pellis 31, 6.

Vnde Aries vocatur χρυσό-
μαλλος ap. Apollod. 1. p.
41. h. e. aries nitidissimus
auro Ouid. Fast. 3, 867.:
et vellus eius χρυσόμαλλον
δέρας ap. Diod. Sic. 4, 15.
et ap. Strabon. 11. p. 763.:
χρυσῶν δέρας ap. Lucian. p.
293. Το. 2.: κώδιον χρυσό-
μαλλον ab Agatharchide ap.
Phot. Cod. 250. p. 719.
Hoesch.: pellis inaurata ab
Ennio ap. Cic. Tusc. 1, 20.
* χρυσᾶ μῆλα Aurea mala
19, 1. 5.: vt ap. Apollod.
2, 5. 11. Suidas, et ex eo
Phauorinus: Περιττότερα·
μείζονα. Τὰ δὲ λεγόμενα
χρυσᾶ μῆλα τῶν Ἑσπερί-
δων, ἃ χρυσᾶ ἦσαν, ἀλλὰ πε-
ριττότερα τῶν ἄλλων quae
quidem verba vnde petita
essent, ignorabam. * χρυσᾶ
Aureae: oues Milesiae, ita
dictae ob eximiam pulchri-
tudinem, 19, 3. * χρυσοῖ
Auri diuites 32, 5. V. su-
pra v. πολύχρυσος. Moeris:
Χρυσῆς καὶ χρυσῆ, Ἀττι-
κῶς· χρύσεος καὶ χρύσεια,
Ἑλληνες ita legitur in Cod.
Coislin. add. Suidas v. ἀρ-
γυρεῖν.

Χρυσὸς Aurum 19, 3. 32, 10.

Χρῶμα Color 51, 1.

Χωλεῖν Non obseruari: ne-
glegi: sibi non constare: de
more, 51, 3.

Χώρα Regio: ager prooem. 6.
6, 6. 16, 3. 38, 1. 5. 39, 3.:
vbi est pagus. V. supra v.
κώμη. * ἡ χώρα τῆς Αἰγύ-
πτου Aegyptus 53, 5.

Χωρεῖν,

Χωρεῖν, sequente particula κατὰ, et Casu secundo personae, *Congredi: certare*: de Marsya, certante cantu tibi-
biarum cum Musis et Apolline, 48, 3. Qui quidem verbi vsus illustrari potest loco Xen. Cyrop. 7, 1. 16. extr. ἐχώρουν ἐναντίοι τοῖς Πέρσαις, i. e. *pergebant* [Aegyptii] *aduersus Persas*, congressuri cum iis. Hic ipse scriptor anab. 1, 2. 8., quo loco hoc certamen Marsyae attingit, eum vocat ἐρίζοντα Ἀπόλλωνι περὶ σοφίας, ita, vt χωρεῖν κατὰ Ἀπόλλωνος idem sit, quod ἐρίζειν Ἀπόλλωνι.

Χωρίον κοῖλον *Locus cauius* 17, 2. * *regio: ager* 1, 8.: vt ap. Xen. Cyrop. 5, 2. 1. coll. c. 3, 1. * *χωρία Loca pro-oem.* 7. 29, 4.: sed 39, 2. *χωρία* sunt, vt κῶμαι, pagi.

Ψ

Ψεύδεσθαι *Mentiri* 28, 3.

Ψευδής, ἐς, *Vanus: falsus*, ut, 3, 1. 18, 3. 34, 1.

Ψεῦδος τὸ τοῦ ψεύδους *Hoc vero falsum est* 10, 1. Legendum videri possit *ψευδής*, vt 3, 1. et 18, 3. At etiam ἡ ἀλήθεια, et τὸ ἀληθές, hoc in libello vices permutant suas.

Ψηφίζειν *Computare: numerare* 53, 3. Suidas in v. ἩΦαιστος — ἐκ ἡδαισαν γὰρ τότε Αἰγύπτιοι ἐνιαυτὸς μετρήσαν, ἀλλὰ τὴν περίοδον τῆς ἡμέρας ἐνιαυτὸν ἔλεγον. —

Ω

᾽Ωδε τὸ ἀληθές ἔχει ᾽ωδε *Res se habet ita* 1, 3. add. 7, 5. 16, 3. 19, 2. At 6, 2. est τὸ ἀληθές ὅτως ἔχει. * ᾽ωδε ἐποίει *Sic faciebat* 50, 3.

᾽Ωνεῖσθαι *Emere* 46, 3. f. Nam ᾽ωνεῖν est *vendere*, sed ᾽ωνεῖσθαι *vendi sibi aliquid inbere*, h. e. *emere*. Hesychius: ᾽Ωνεῖν· πωλεῖν.

᾽Ωρα κατ' ἐκάστην ᾽ωραν *Vsq: continenter* 7, 6.

᾽Ωραία *Pulchra: formosa* 24, 3. 46, 2. Iungitur ei utroque loco Adj. καλή· vt 47, 1. ᾽ωραῖον καὶ καλόν· etiam ap. Xen. Memorr. 1, 3. 14. Scilicet ᾽ωραῖος pertinere videtur maxime ad venustatem oris, sed καλὸς ad pulchritudinem formae et faciei. Sic coniunguntur ᾽ωραῖος καὶ εὐμορφος ap. Lucian. Catapl. p. 433. To. 1. et εὐπρόσωπος καὶ καλὸς ap. Aristoph. Plut. 977.: vbi schol. Doruil. εὐπρόσωπον· ᾽ωραῖον. Itaque errat Schoetgenius, qui in notis ad The-mistoclis ep. 14. p. 74. putat, ᾽ωραῖαν ap. Palaeph. 24, 3. esse *nubilem*, vel *viri potentem* Gloss. vett., quod eadem femella ibi dicatur καλή, et quod sequatur ὅσις δὲ εἶδεν, ἦρα ταύτης. Accedit, quod *virgo nubilis* fere a tragicis ᾽ωραία simpliciter vocatur, auctore schol. Aristoph. ad Acharn. p. 273. Bas., quod ᾽ωρα sit ἡ ἀκμή·

2

nam

INDEX PRIMVS VERBORVM GRAECC

- nam ab alijs scriptoribus dicitur γάμος, vel γάμων, ὥραία. v. Herodo. 1, 196. Xen. Cyrop. 4, 6. 4.
- Ὠρίων Orion: filius Iouis, Neptuni, et Mercurii, 5, 4. Vnde a poetis nominatur τριπάρωρ, et τρίπατρος. v. Nonnus Dionysii. 13. p. 356. Hānou. et Lycophron. v. 328.
- Ὡς Quippe: utpote prooem. 1. 41, 1. 53, 2. 6. * quum 13, 4. * sicut 53, 6. * ὥς ἀνέδειν περὶ ἑκάστου αὐτῶν Quid accepissent, quid haberent, de singulis prooem. 6. * τὰ χωρία αὐτὸς εἶδον, ὥς ἔστιν ἑκάστων ἔχον Ipse contemplatus sum situm ingeniumque singulorum locorum prooem. 7. * ὥς Φασιν Vt aiunt 29, 2. * ὥς οἴμαι Vt putat 18, 3. * tanquam: veluti 7, 1. 4. 31, 2. add. 52, 3. f. * pro ὥς, ἵνα, sequente Optatio, 2, 9.: sequente Infinitiuo, 2, 6. 31, 5. 53, 3. * μὴ ὥς Σερίφιδι — τὸ παρ' ἡμετέρων οὐκ ἔστι Ne vobis accidat idem, quod Seriphidis accidit, 32, 16. * pro ὅτι, sequente Infinitiuo, 1, 4. 24, 1. 35, 1.: vbi id male docet redundare Abreschius ad Aeschyl. p. 208. To. 2.: sequente Indicatio, 1, 1. 12. 2, 5. 6, 1. 7, 1. 14, 4. 15, 3. 21, 1. 41, 8. 53, 4. etc. * cum Adι. μάταιον simpliciter, sine villo verbo, 38, 1. * redundat, e Latina quidem ratione, 2, 10.
- Ὡς περ Quemadmodum: velut: quasi 5, 4. [v. Xen. Cyrop. 8, 2. 7. Plato Phaedon. 38. Aristoph. Plut. 769. 944], 32, 6. 9. 43, 4. etc.
- Ὡς Vt: praecedente particula ἔτι, et sequente Infinitiuo, 31, 7. V. Coppiersius Obseruatt. c. 9. p. 106.

INDEX SECVNDVS
SCRIPTORVM VETERVM
IN NOTIS
VEL
EMENDATORVM VEL EXPLICATORVM
ET VERBORVM GRAECC
A LIBRARIIS PERMVATORVM
VEL ILLVSTRATORVM

Priores numeri Fabulas, posteriores Notas, significant.

A

- Ἀγαθῶ et αὐτῶ 3, 9.
 Ἀγανακτησάμενος et ἀνα-
 κτησάμενος 41, 30.
Agroetas 19*.
 Ἀδελφιδῶ et ἀδελφῶ 46, 5.
 Ἀδύνατον et ἀμήχανον 13, 4.
 Αἶμα et ἄσμα 49, 9.
 Ἀόλος et Στόλος 31, 20.
Aesopus 29, 28. 41, 5.
Aeschines Socraticus 51*.
 Αἰωρεῖσθαι 52, 2.
Acta Apostolorum 45, 2.
Actiua et Media a librariis in-
 ter se permutata 2, 34. 39,
 18.
Alcaeus 39, 2.
Alexandrina Versio V. T.
 17, 1.
 Ἀμισόδαρος, et Ἀμισώδαρος, et
 Ἀμισόδωρος, et Ἀμισίδωρος
 29, 8. 22.
 Ἀναβιῶσθαι et ἀναβιῶναι 41, 8.
 Ἀναδιδόναι et ἀναδίδοσθαι
 quid? 29, 28.
 Ἀναδίδοσθαι et ἀναφέρεσθαι
 29, 28.
 Ἀνακολεθίας exempla 3, 1.
 39, 4.
 Ἀναξ 6, 12.
 Ἀναφέρειν, et περιφέρειν, et
 παραφέρειν, 10, 4.
 Ἀνθρώπῃς et ἀνθρώπων 9, 4.
Anonymus περὶ Ἀπίων 31, 22.
 Ἀντιποιεῖσθαι 25, 8.
 Ἀξιον λόγῃς 32, 31.
 Ἀπέλειπεν, et ἀπέλειψεν, et
 ἀπέλιπεν, 23, 10.
 Ἀπελθῶν et ἐπελθῶν prooem.
 14.
 Ἀπέλιπεν et ἐπέλιπεν 26, 1.
 Ἀπῆει, et ἀπίει, et ἔπλεεν,
 13, 7.
 Ἀποδείκνυσθαι et ἐπιδείκνυ-
 σθαι 42, 5.
 Ἀποδέχεσθαι et ὑποδέχεσθαι
 5, 5.
 Ἀποθνήσκειν, et verba similia,
 construuntur cum Praepos.
 πρὸς 11, 6.
 Ἀποκύειν 2, 3.
Apollodorus 20, 8. 29, 28. 32*.
 41, 4.
Apostolius 1*. 1, 2. 9*. 10*.
 11, 1. 13*. 19, 1. 20*. 23, 2.
 24, 1. 25, 1. 26, 1. 27*. 28*.
 29*. 31*. 31, 18. 19, 32*.
 34*. 39*. 41*. 45*. 46*.
 47*. 48*. 49*.
 Ἀργύριον et ἀργύρια 38, 4.
Aristophanes 5, 2. 27, 11. 46, 7.
Arjenii Violarium 9*. 11, 1.
 13*. 26, 1. 27*. 28*. 29*.
 32*. 41*. 45*. 46*. 48*.
 49*.
 Articulus a librariis omissus
 17, 1. 21, 15. 23, 3. 7. 25, 6.
 29, 3. 19, 44, 12. 49, 3.
Asclepiades 23*.
Athenagoras 20, 8.
 Αὔων et ἄων 32, 12.
 Αὐτῶ a librariis omissum 23,
 11.
 Αὐτῶ et ἐκεῖ 31, 28.
 Αὐτῶ et αὐτῇ 14, 5.

INDEX SECVNDVS

Ἀφελέσθαι et ἀνελέσθαι 46,
13.

Ἀφίησιν et ἐφίησιν 40, 22.

B

Βασιλεὺς 6, 12.

Βίβλος omittitur prooem. *

Βίον et νῆν. 23, 4.

Γ

Γάρ et γάρ 41, 25.

Γὰ et δὲ 22, 10.

Γὰ et τὰ 11, 7.

Γέλων et γέλωτα 31, 13.

Γενέσθαι et γίνεσθαι prooem.

5.

Genesis 17, 1.

Genitiui Participiorum absolute ponuntur 28, 9.

Genitiuus, et Accusatiuus, Pluralis 11, 6.

Γένος et γένει 6, 10. 11, 3. 32, 12.

Γέροντας et χαίροντας 44, 5.

Glossmata glossis a librariis addita sunt 16, 4. 19, 6.

Γοργῶ, et Γοργόνην, et Γοργόνα, et Γοργῶν, 32, 15. 20, 46.

Γύης et Γύγης 20, 8.

Δ

Δὲ et ἔν 29, 10. 31. 38, 6. 43, 11.

Δὲ omissum a librariis 45, 6. 47, 2. 48, 3.

Διανύσσαι et διανήξασθαι 16, 2.

Διαφέρειν et ὑπερφέρειν 25, 6. 28, 9.

Διαφημίζεσθαι 14, 14.

Διαφθερίζειν et συμφθερίζειν 1, 13.

Διαφθερίζειν, et διαφθορεῖν, et διαφορεῖν, 23, 2.

Dicaearchus 28, 9.

Diodorus Siculus 1, 32. 19*.

Δίρκη et Λέρνη 6, 2.

Δάριος et δαράτεος ἵππος 17*.

Δυστυχῆσεις et δυσυχῇ 3, 19.

E

Ἐβλέτο et ἐδύνατο 41, 15.

Ἐγένετο et ἦν 25, 1.

Ἐγκαθήμεναι 17, 6.

Ἐθέλειν et θέλειν 48, 6.

Εἶνα a librariis omissum 23, 6.

Ἐκ omissum prooem. 15.

Ἐκάθηντο et ἐνεκάθηντο 17, 6.

Ἐκατόγχειρες et Ἐκατοντάχειρες 20, 8.

Ἐκατογχειρία et Ἐκατονταχειρία 20, 4.

Ἐκδιώκειν et ἐξελαύνειν 23, 19.

Ἐκείνος et ἐκεῖ 8; 5.

Ἐλαύνειν 32, 50.

Ἐμβοάνειν vocabulis naucularum additum construitur cum Praeposit. εἰς 13, 6.

Ἐμπολή et ἐμπωλή 46, 13.

Ἐν et ἐπὶ 27, 2.

Ἐν et σὺν, in verbis compositis, 40, 23.

Ἐναλλαξ 32, 23.

Ἐνι et ἐς 28, 6.

Ἐξῆλθε et ἐξέπτη 13, 3.

Ἐξοισρεῖν et οἰσρεῖν 43, 2.

Ἐξὸν 45, 2.

Ἐπήεσαν et ἐπίεσαν 39, 11.

Ἐπηρεῖντο et ἐπενοῶντο 32, 37.

Ἐπὶ et διὰ 31, 18.

Ἐπὶ et κατὰ 40, 24.

Ἐπὶ et περὶ 30, 8. 32, 51. 40, 11.

Ἐπὶ τῷ τόπῳ, et ὑπὸ τὸν τόπον, et ἐκεῖσε, 10, 3.

Ἐπιγαμῖν et γαμῖν 7, 22.

Ἐπι-

Ἐπιγράφεσθαι et γράφεσθαι
30, 8.

Ἐπιδείκνυσθαι 42, 5.

Ἐπιλαμβάνεσθαι 4, 1.

Ἐπιρρίπτειν 53, 13.

Ἐπιτιθέναι et ἀποτιθέναι 32,
45.

Ἐπιφοιτᾶν et φοιτᾶν 38, 2.

Eratoſthenes 38, 2.

Ἑστία et οἰκία 41, 14.

Eudocia 1*. 2*. 2, 4, 3, 9, 4*.

7*. 9*. 10*. 11*. 11, 8, 15*.

19*. 20*. 21*. 22*. 23*.

28*. 29*. 30*. 31*. 31, 22.

32*. 34*. 35*. 38*. 39*.

40*. 41*. 41, 18, 42*. 43*.

44*. 45*. 46*. 47*. 48*.

49*. 50*. 51*. 52*.

Εὐήθεος et εὐήθεια 21, 4.

Εὐκαρπος et ἔγκαρπος 19, 6.

Εὐπειθέτεροι et ἀπειθέτεροι
prooem. 4.

Εὐρόντος et διαλυσαμένα 7, 9.

Euphorion 5*.

Ἐφίσασθαι 48, 4.

*Ἐχει a librariis omiſſum 20, 3.

Ἐωρίζεσθαι 52, 2.

Z

Zenobius 13, 3.

Ζήτησις et Ζήτησις 23, 15.

H

Heliodorus 32, 50.

*Ἦν a librariis praetermiſſum
20, 4.

Heracitus 39, 2.

Herodotus 26, 1.

Hesiodus 29, 9, 36, 1.

Hesychius 23, 2.

Θ

Theon Mathematicus 5, 11.
12.

Theon Sophista 3*. 44*.

Theophrastus 1, 4, 41, 5, 46,
7.

Θεσπίας et Θεσπεσίας 46, 6.

Θῆβαι et Ἀθῆναι 7, 16.

Θηβαῖοι et Ἀθηναῖοι 7, 16.

Θηβαῖοι et Καδιεῖοι 7, 28.

Θρήσσαι et Θρηῖσαι 33, 3.

I

Ἰαρόδαν, et Ἰορόδαν, et Ἰερ-
δάν, 45, 4.

Ἰακρός et Ἰακρίων 13*.

Imperfectum et Aor. 1. con-
iunguntur 1, 13.

Indicativus et *Coniunctivus*
8, 4.

Indicativus et *Optativus* 3, 4.

Iohannes Evangelista 1, 5.

Iſocrates 1**.

Ἰσορᾶσι et ἰσορεῖται 23, 1.

Ἰφικλος et Ἰφικλής 39, 27.

K

Καὶ 31, 2, 14.

Κατὰ cum Genit. et Accusat.
contra 6, 17.

Κατὰ et ἐπὶ 40, 24.

Καταφέρειν et μεταφέρειν 10,
3.

Κατησέρωσεν et κατησέρισεν
5, 12.

Κελεύειν 42, 7.

Censorinus 53, 4.

Κέρκυρα et Κόρκυρα 21, 13.

Cicero 3, 9, 29, 9.

Κνώσιος et Κνώσσιος 16, 5.

Κοῖος et Κόττος 20, 8.

Κόλχος et Φάρον 31, 27.

Coniunctivus et *Infinitivus* 17,
5.

Coniunctivus et *Optativus* 24,
10.

Κρημνοὶ et κρημνός 29, 26.

Z 4

Κριδός

INDEX SECVNDVS

Κριδός et Προκριδός 2, 9.
 Κύειν 2, 3.
 Κυηθέν et γανηθέν 2, 13.
 Κύνες et τινές 3, 3.
 Κυρήνη et Κέρνη, Κυρηναῖοι et
 Κερναῖοι, 32, 11. 14.

Λ

Λάβρος, et λαύρος, et λαμπρός,
 13, 9. 21, 11.
Lactantius 16, 9.
 Λέγειν ει ἄδεν, λέγεται et ἄδε-
 ται, 7, 8. 28, 1.
 Λέγειν ἀνιγμα 7, 8. 30.
 Λέγσει et λέγεται 10, 1. 14, 1.
 18, 1. 19, 1. 21, 1. 22, 1.
 Λόγος et μῦθος 34, 1.
 Λυγκεύς et Λυγγεύς 10*.
Lucianus 25*.
Lucretius 17*. 25*.

Μ

Matthaeus Evangelista pro-
 oem. 6. 6, 17. 40, 22.
 Μειλανίων, et Μελαυνίων, et
 Μιλανίων, et Μηλανίων,
 14*.
 Μέν a librariis omissum 29,
 24.
 Μετὰ δὲ et μετὰ τῷτο δὲ 7,
 16.
 Μετὰ et κατὰ 46, 4.
 Μετάλλευσις et μεταλλεία 10,
 2.
 Μετέωρον 17, 4.
 Μήτρα et Μήτρα 24, 1. 12.
 Μικρός et μακρός 25, 8.
 Μισθῶ, et μισθῆ, et μισθόν,
 41, 5.
Moeris Atticista 31, 13. 32,
 27.

Ν

Negotium, et *suum negotium*,
 gerere quid? 3, 9.

Νῆσοι et νῆες 21, 5.
Nicander 17*.
Nonnus Συναγ. ἰσορ. 21*.

Ξ

Ξενίζεσθαι et ἐπιξενεσθαι 46,
 11.
Xenophon prooem. 6. 1, 5. 13.
 34, 2, 1. 3, 8. 5, 2. 6, 12.
 13, 3. 31, 2. 27. 38, 2. 14.
 39, 11. 40, 23.
 Ξύλοχος 15, 1.

Ο

Οἰκεία et οἰκία 1, 32.
Homerus 1, 5. 7, 19. 16, 3.
 21, 8. 29, 9. 53, 17.
 Ὁμόςαι et ὁμόσε 32, 34.
 Ὄνομα et ὀνόματα prooem. 6.
Varro 19*. 19, 16.
 Verba Pluralia iunguntur no-
 minibus Pluralibus neutrius
 generis prooem. 6.
Virgilius 17, 4.
Ovidius 23, 15. 47, 10.
 Ὅποτε βέλοιτο, et ὡς ὁ ποιη-
 τῆς βέλοιτο, et ἀποίαν τις
 βέλοιτο, 24, 2.
Horatius 1, 5.
 Ὅσα et ὡς 6, 12.
 Ὅσφύς et ὄφρυς 25, 10.
 Ὅτε a librariis praetermissum
 11, 5.
 Ὅ, τε, et καὶ ὁ, et καὶ ὅτι,
 et ὁ δὲ, 16, 3.
 Ὅτι omittitur post verbum
 ἔλεγον, et similia verba, 6,
 23.
 Οὐδέν et ἔδενός 26, 1.
 Οὖν et δὴ 23, 13.
 Οὔτε et ἔδὲ 7, 11. 11, 5.
 Οὔτω et ἔτος 48, 3.
 Οὔτω et ἔτως 7, 37. 11, 2.
 23, 6.
 Οὔτως

Οὕτως et ὅτος 27, 7.
*Οφιν et ὡς Φασιν 6, 1.

Π

Πανδοκῆιον 46, 7.
Παρά et περί 19, 9, 32, 48.
Παραπλέειν et περιπλέειν 32, 48.

Παρενέβαλε et παρεμέλαβε 17, 1.

Participium verbi εἰμι, comes verbi τυγχάνειν, a librariis omissum est 15, 2.

Patronymica ponuntur pro nominibus Propriis 13*.

Pausanias 7, 8. 37, 3.

Πελίας et Πηλίας 41, 10.

Πεπίστευκεν et πιστεύει 1, 5.

Περιελάσας et περιεργάσας 19, 10.

Περιέπλει et περιεπόλει 38, 6.

Πήλειον et Πήλιον 1, 11.

Πίσσα et Πίσσα 30, 1.

Plato 12, 8. 15, 2. 27, 8. 41, 8.

Plutarchus prooem. 12.

Ποιῆν cum Accusatio, et Dativio, personae construitur 27, 8.

Ποιῆν et ποιῆσθαι 1, 34.

Ποία et ποίαις 29, 15.

Ποιητῶν et πολῖται 23, 14.

Πολεμεῖν cum Accusat. quid? 16, 6.

Pollux prooem. 6. 16, 9.

Πολυδέκτης, et Πολυέκτης, et Πολυδεύκης, 32, 6.

Πότε et τότε prooem. 10,

Πρόβασις et πρόσβασις 29, 23.

Προσαποκτενεῖν et προσακαπτενεῖν 32, 42.

Προσθετός et ὑποθετός 13, 4.
Προσπλεύσας, et προπλεύσας, et προσπελάσας, 32, 50.

Πυθόμενος et πειθόμενος 2, 18.

Πυρία χρώμενος et πυριώμενος 44, 13.

P

Rex 6, 12.

Σ

Σάρδεις et Γαδειρεῖς 38, 28.

Simonides 39, 2.

Σίνειν et σίνεσθαι 1, 12.

Σκευή et σκηνή 30, 8.

Suidas prooem. 6. 1, 32.

Scholiasies Homeri 5*. 5, 12. 31, 20. 41, 14.

T

Tacitus 31, 33.

Ταράσσεσθαι 27, 11.

Τάφος et τίμβος 9, 7.

Τελευταῖ et διαφθείρεται 13, 10.

Τελμησία, et Τευμησία, et Τεκμησσία, 8*. 8, 5.

Τελμισσός et Τελμησσός 29, 30.

Tzetzes [Isaac., vel potius Ioh.] 5, 4. 9.

Τὸ παράπαν et παράπαν prooem. 5.

Τὸν υἱὸν αὐτῆ et υἱὸς αὐτῆ ὄντας 13, 2.

Τότε et ποτὲ prooem. 10.

Τρεπόμενα et τερπόμενα 34, 4.

Τροφή et μορφή 1, 7.

Τύριος et Τυρῆνιος 16, 6.

Τυρῆνία et Κυρηνία 20, 2.

Τυρῆνιοι, et Τυρῆνιοι, et Κυρηνιοι, 21, 5.

INDEX SECVNDVS SCRIPTT. VETT

Υ

Hyginus 17*. 42*.

Ὑπαντιάζειν et ὑπαντᾶν 38, 14.

Ὑπερορίας et ὑπωρείας 1, 16.

Ὑποφεύγειν, et ἀποφεύγειν, et Φεύγειν, 1, 23.

Ὑφίστασθαι 7, 30. 48, 4.

Φ

Phauorinus 5*. 28*. 31*. 31, 13. 41*.

Φάρον et Φάσιν 31, 27.

Φασί a librariis omissum 48, 5.

Pherecydes 32*.

Φθία et Φρυγία 31, 21.

Φορός et σφοδρός 13, 9. 21, 11.

Φόρτος et χρόνος 2, 12.

X

Χρήματα 31, 22.

Χρήματα et πράγματα 31, 22.

Ψ

Pseudomusaeus 45, 4.

Ω

*Ων a librariis, omissum est 5, 2. 30, 5.

Ὠρμῶντο et ὠρμηντο 6, 18.

*Ωρος, et Ὠρθός, et Ὠρθρός, 40, 14.

Ὠς particulam sequuntur Infinitivi 1, 15. 24, 3.

INDEX TERTIVS
RERVUM MAXIME MEMORABILIVM
QVAE
IN FABVLIS PALAEPHATI
ATTINGVNTVR

*Numeri priores Fabulas, posteriores segmenta Fabularum,
i n d i c a n t.*

A

- A**castus filius Peliae 41, 2.:
obfidet Pheras 42, 2.
- Achilles** Cycnum lapide percussit, nec vulnerat tamen, 12, 2.
- Achiui** capiunt Ilium 17, 1.
- Aetæon** cur a canibus consumtus dicatur 3, 5. f.
- Admetus** 41, 1. ff.
- Adulescentes** loco boum vehunt sacerdotem Iunonis Argiae ad templum 51, 3.: praemium laboris accipiunt somnum, et mortem, 51, 4.
- Aeëtes**, Colchorum rex, 31, 4.
- Aegyptii** singulos dies numerarunt annos singulos 53, 3.
- in Aegyptum** abit Io 43, 1. 4.:
Aegypti reges fuerunt Hephaestus, et Helius, 53, 1. 3.
- Aenea** aetas 36, 2.: aeneis muris vrbs Aeoli dicitur fuisse circumdata 18, 3.
- Aenigma** dicuntur a Thebanis insidiae 7, 7.: aenigma Sphingis 7, 2.
- Aeolus** quis fuerit 18, 1. f.:
Aeoli filius fuit Athamas 31, 8.: Aeolus fuit astrologus 18, 2.
- Aeris** inuentor 10, 2.
- Aetas** fraxinea 36, 1.: ferrea et aenea 36, 2.
- Agriculturae** studium 3, 5. 4, 2.
- Aiax** Telamonius, qui invulnerabilis dicebatur, suo sibi gladio vitam ipse ademit 12, 3.
- Alae** facticiae 13, 1. f.
- Alceſtis**, virilis femina animi, pro Admeto mortua, ab Hercule reducitur ab Inferis 41, 1.
- Alcinous** 21, 3.
- Alcyone** 5, 1.
- Alimento** vti nequeunt eodem leo, draco, capra, 29, 3.
- Alopex** Thebanus 8, 2.
- Amaltheae** cornu 46, 3. f.: Amalthea, muliere formosa, Hercules delectatur 46, 3.
- Amazones** an mulieres fuerint 33, 2.: radebant sibi barbas, tunicas talares gestabant, capillos mitris redimire solebant, 33, 1.:
Sphinx fuit Amazonis 7, 5.
- Ambulantes** statuæ 22, 1.
- Amisodarus** rex 29, 5.
- Amphion**, Zethi frater, 42.
- Amyclæus** adulescens, Hyacinthus, 47, 1.
- Animalia** quadrupedia Orpheum sequuntur 34, 1.
- Annon**, fluvius Libyæ, 32, 5.
- Anthedoniensis** Glaucus 28, 2.
- Antrum** fuit in Laconica, ad Taenarum 40, 3.: per quod Hercules ad Inferos descendisse dictus est 40, 5.
- Apollo** Daphnen amat, et persequitur fugientem, 50, 1. f.:
Hyacinthum amat 47, 1.:
Marſyan aemulum vincit 48, 3.
- Arbores** Orpheæ sequuntur 34, 1.
- Argenti** inuentor 10, 2.: spon-

fi

- si sponsabus olim non da-
 bant argentum 24, 4.: ar-
 gento non utebantur olim
 homines 42, 2.: sed supel-
 lectili 38, 3.
 Argo naui 31, 6. f.
 Ariadne 2, 10.
 Aries futura praedicat Phrixo
 31, 1.: an portauerit Phri-
 xum et Hellen per mare 31,
 2.: arietis vellus 31, 4. 6.
 Asiae ora maritima deuastatur
 a Cetone 38, 2.
 Atalanta cur in leaenam mu-
 tata feratur 14, 3.
 Athamas, Aeoli filius, rex
 Phthiae, 31, 8.: Phrixum
 interficere vult 31, 9.
 Attica 6, 5.
 Aues Orphea sequuntur 34, 1.
 B
 Bacchae ferulas, et ramos arborum
 defractos, gestant 34, 3.
 Bacchi Orgia ab Orpheo insti-
 tuta 34, 3.
 Bellerophon quis, et cuius, 29,
 4.: regiones maritimas in-
 festat 29, 4.: Telmissum,
 montem syluosum, incendit
 29, 7.
 Bendia nomen Dianae apud
 Thracas 32, 6.
 Boreae filii, Zethus [*Zetes*]
 et Calais 23, 4.
 Bos lignea 2, 1.: an Io ex mu-
 liere bos facta sit 43.: bo-
 vis corium 5, 3.: boues Ge-
 ryonis quales fuerint 25, 3.
 f.: boues albi currui iuncti
 trahunt sacerdotem Iunonis
 Argiae ad fanum 51, 1. f.
 Briareus, Hecatontachir, 20, 2.
 C
 Cadmei 7, 7. 8, 1.
 Cadmus 6, 1. ff.
 Caeneus fertur fuisse inuulne-
 rabilis 11, 1.
 Calais, filius Boreae, 23, 4.
 Callisto an in vrsam mutata sit
 15, 1. f.
 Cancer dicitur subuenisse Hy-
 drae aduersus Herculem
 39, 1.
 Canes sunt dominorum aman-
 tissimi, et venatici canes adu-
 lantur homines, 3, 1.
 Canos Medea mutauit in capil-
 los nigros 44, 2.
 Cantus citharae 34, 1. 42, 1.
 Caput Gorgonis 32, 3. 14.:
 capita quinquaginta Hydrae
 39, 1.: abscisso vno, nascun-
 tur duo 39, 1.: capita tria
 vnum corpus habere non
 potest 25, 1.
 Carcinus opem fert Lerno
 39, 5.
 Cariae incola est Hesperus 19,
 2.: ex Caria adscensus patet
 in Telmissum montem 29, 5.
 Centauri Caeneam hostem non
 interficiunt ferro, sed obru-
 tum terra mori cogunt, 11,
 2.: Centaurorum historia et
 mores 1, 1. 7.: bellum cum
 Lapithis 1, 9. f. 11, 2.
 Centimani 20, 1.
 Cephalus Atheniensis 8, 5.
 Cerberus canis triceps 40, 1.:
 canis Geryonis 40, 2.: re-
 ductus est ab Hercule ex
 antro, quod erat ad Taena-
 rum, 40, 4.
 Cerne insula 32, 5.: incolae
 eius sunt auri diuites 32, 5.
 Ceton rex dictus est Cetus 38,
 4.: interficitur a Laomedon-
 te et Hercule 38, 6.

Chi-

RERVM MAXIME MEMORABILIVM

Chimaera monstrum triceps
29, 2.: mons 29, 6.

Citharae Orphei cantum an
quadrupedes, aues, et arbo-
res, sequutae sint 34, 1. f.:
citharae beneficio muri The-
barum exstructi sunt 42, 3.

Citharoedi, Zethus et Am-
plion, 42, 2.: tantum mer-
cede caneant 42, 2.

Claua Herculis 37.

Coeranus, Polyidi pater, 27, 1.

Coitus animalium naturae di-
uersae fieri non potest 2, 2.

Colchorum rex, Aeëtes, 31, 4.

Colonaeus Cycnus 21, 1.

Columnae Herculis tres 32, 6.

Corcyra 21, 3.

Cottus, Hecatontachir, 20, 2.

Creta 16, 1.

Crius, curator negotiorum A-
thamantis, 31, 8.

Curulis rei antiquitas 1, 5.

Cycnus inuulnerabilis 12, 1:

D

Daedalus simulacrum vaccae
lignum fabricatur 2, 1.: a
Minoë conicitur in carce-
rem 13, 1.: inde auolat cum
Icaro filio 13, 1.: statuæ e-
ius dicuntur ambulare 22, 1.

Daphne, filia Terrae et Lado-
nis fluuii, 50, 1.: ab Apolli-
ne armatur 50, 1.: castita-
tem tuetur fuga 50, 2.: re-
cipit Terra eam intra se, ita,
vt ex eo loco extiterit lau-
rus, 50, 3.

Dentes elephantini 6, 2.: e
dentibus draconis nati sunt
viri armati 6, 1.

Diana 3, 2.: vocatur a Creti-
bus Dictynna, a Thracibus
Bendia, a Lacedaemoniis
Vpis, 32, 6.

Diomedis equi, et institutum
vitae, 4, 1. f. 41, 6.

Discus interitum affert Hya-
cintho 47, 4.

Diuitiae veterum quae? 3, 5.
4, 2. 38, 3.

Draco Dircaeus 6, 1.: draco-
nis dentes 6, 1.: draco in
Chimaera monte 29, 6.: cu-
stos malorum Hesperidum
19, 1.: alteri mortuo reddit
vitam 27, 1.

Draco rex Thebanorum 6, 3.
7, 5.: filii eius, et amici,
oppugnant Cadmum 6, 3.:
medicus 27, 3.

E

Eos, Pelopis mater, 31, 9. 11.

Equestris rei origo 1, 4.

Equus alatus, Pegasus, 29, 1.:
equi alati Pelopis 30, 1.: e-
qui Glauci 26.: equi Dio-
medis 4, 1. 41, 6.: equos
alere damnosum est 4, 2.
26.: equus volare non pot-
est 29, 1.: equus ligneus
Troianus 17, 1.

Erasia, filia Phinei, 23, 2.

Erisichthon, Thesfalus, Me-
trae pater, 24, 1.

Europa, Phoenicis regis filia,
rapta 16, 3.: tauro per ma-
re vecta 16, 1.

Euryale, Phorci regis filia, 32, 7

Eurystheus Herculem mittit,
vt Hydran euertat, 39, 4.

F

Fabularum origo, et consilium,
prooem. 5. 3, 3.: fabulis
subiunguntur res prooem. 2. f.:
fabulas alii veras esse omnes
putant, alii vanas, prooem.
1.: fabulas cur finxerint
poëtae prooem. 5. 3, 3.

Ferri

INDEX TERTIVS

Ferri inuentor 10, 2.: ferro qui vulnerari non potuerint 11, 1. 12, 1.: ferrea arma primus fabricanda curauit Hephaestus 53, 1. f.

Ferrea aetas 36, 2.

Filiae Phinei impiae 23, 2.

Flos a Medea repertus, quo capilli albi redderentur nigri, 44, 2.

Forma mutata Aëtaeonis 3, 2.: **Atalantæ et Milanionis** 41, 1.: **Callistus** 15, 1.: **dentium draconis** 6, 1.: **Ius** 43, 1.: **Daphnes** 50, 3.: **cruoris Marfyæ** 48, 4.: **Metrae** 24, 1.: **Orionis** 5, 5.: **fraxinorum** 36, 1.: **Phaonis** 49, 3.: **Polydectæ, et Seriphiorum**, 32, 3. 16.

Fraxinea aetas 36, 1.

G

Gades insula 32, 10.

Geryones triceps 25, 1.: **opulentus** 25, 2.: **canes pastorios habet magnos et acres** 40, 2.: **boues eius abigit Hercules** 25, 3. 5. 40, 2.

Glaucus Marinus factus est immortalis 28, 1.: **fuit vrinator egregius** 28, 2.: **ciuibus copiam piscium quorumuis facit, coorta tempestate**, 28, 3.: **Glaucus, Minois filius, melle necatur** 27, 1.: **restituitur vitæ** 27, 1.: **Glauci, filii Sisyphi, equi dominum deuorasse dicuntur** 26.

Gorgon ab Cernæis vocatur Minerua 32, 6.: **simulacrum eius aureum** 32, 6. 8. 14.: **regina** 32, 10. 12.: **navis** 32, 14.: **Gorgonis caput** 32, 3. 16. 17.

Hyges, Hecatontachir, 20, 2.

H

Harmonia, soror Draconis, vxor Cadmi, 6, 5.

Harpyiæ 23, 1.

Hecatonchires 20, 2.

Hecatonchiria, Orestiadis opidum, 20, 2.

Helius, filius Hephaesti, Aegypti rex, 53, 3. f.: **vindex adulterii acerrimus** 53, 4. f.

Helle arietem cum fratre conscendit 31, 1.: **cum fratre fugiens per mare in fuga moritur** 31, 10.

Hellenes nomen habent ab Hellene 36, 2.

Hellespontus vnde nomen acceperit 31, 10.

Hephaestus, rex Aegypti, 53, 1. 3.

Herba mortuis vitam reddit 27, 1.: **Glaucum Marinum reddit immortalem** 28, 1.

Hercules, Geryone occiso, boues eius abigit 25, 3. 40, 2.: **Amaltheæ cornu circumfert** 46, 1.: **Cerberum dicitur ab Inferis duxisse in terram** 40, 1. 5.: **itemque Alcestin** 41, 1.: **seruit Omphalæ, et ex ea Laomedem suscipit**, 41, 1. 3.: **draconem, malorum Hesperidum custodem, interfecisse dicitur** 19, 5.: **itemque Hydrae capita abscidisse, sed frustra**, 39, 1.: **Acasti exercitum perdit** 41, 7.: **opículas Hesperii abigit** 19, 4.: **Troianis auxiliatur** 38, 5.: **eius Columnæ** 32, 5.: **et claua** 37.: **Hercules, philosophus Tyrius**, 52, 1.: **inuentor purpuræ** 52, 1. 3. 4.

Hesio-

RERUM MAXIME MEMORABILIVM

Hesiodus quid de muris Thebanis canat 42, 1.

Hesperides mulieres 19, 1.: Hesperii Milesii filiae duae 19, 2.: earum mala aurea 19, 1.

Hippodamia, Oenomai filia, 30, 1.

Homo volare non potest 13, 2.: homines prisca in certos pagos descripti habitabant 39, 2.: hominem nulla bestia terrestri rapere, et ferre, potest 8, 1.

ab Hospite rex vellus aureum accipere non debebat 31, 6.

Hyacinthus, adulescens Amyclaeus, amatur ab Apolline et Zephyro 47, 1.: disci orbe necatur 47, 4.

Hydra, serpens Lernaeus, 39, 1.: opidum munitum 39, 3.

Hyrrieus 5, 1.: eius hospitalitas 5, 1. f.

I

Iardanus, Lydorum rex, 45, 2.

Iason mittit Argo nauem, et Graecorum principes, ad repetendum vellus arietis aureum 31, 6.

Icarus, Daedali filius, perit in mari, quod nomine eius Icarium appellatum est, 13, 5.

Ignis prodit ex hiatus terrae ad Telmissum montem 29, 5.: ignem exspirare natura mortalis non potest 29, 3.

Ilienses obediunt Sinoni 17, 4. Ilium occupatur a Graecis 17, 4.

Infidiae Sphingis 7, 6.: Argiuorum 17, 2.: infidias Thebani aenigma vocant 7, 7.

Inuentores artis equestris 1, 5.: inuentor rei metallica 10, 2.

Inuulnerabiles qui crediti sint a veteribus 11, 1. 12, 1.

Io ex muliere bos facta 43, 1.: regis Argiuorum filia 43, 2.: sacerdos Iunonis Argiae gravis facta ex vrbe fugit 43, 3.

Iolaus, Iphiclis, fratris Herculis, filius, 39, 6. 46, 2.: opem fert Herculi 39, 6.

Iones ab Ione nomen habent 36, 2.

Ionius sinus 21, 2.

Iuno dea Argiuorum tutelaris 43, 2. 51, 1.: sacerdos eius fuit Io 43, 2.: filiorum sacerdotis eius aduersus matrem pietas 51, 3. f.

Iupiter cum Neptuno, et Mercurio, hospitio excipitur ab Hyrieo 5, 2.

L

Ladonis, fluiui, et Terrae, coitus 50, 1.

Lamiscus, Samius, prooem. 4.

Laomedes, Herculis et Omphales filius, 45, 3.

Laomedon; rex Troianorum, 38, 5.

Lapides sponte adscenderunt in muros Thebanos 42, 1.: in lapides mutati homines 32, 3. 16.

Lapithae qui? 1, 8.: eorum bellum cum Centauris 1, 10. 11, 2.

La

Larissa,

INDEX TERTIVS

- Larissa, opidum, Theſſaliae, 1, 8.
 Laurus vnde orta ſit 50, 3.: tripus Pythiae eſt laureatus 50, 4.
 Lenones 3, 7.
 Leo et draco in Chimaera monte 29, 6.: leo et leaena devorant Milanionem et Atlantam 14, 2.
 Lernus bellum gerit cum Sthenelo 39, 2. f.
 Leſbii admirantur humanitatem Phaonis 49, 2.
 Locris 6, 5.
 Lynceus inuſitata oculorum acie praeditus fertur 10, 1. 3.

M

- Marſyas e ruſtico et paſtore muſicus ſit 48, 1. f.: victo pellis deripitur 48, 3.: Marſyas, fluuius Phrygiae, 48, 4.
 Medea ſenibus reddit iuuentam 44, 1.: mutat colores capillorum 44, 2.: inuidet artem hominum corpora ſudationibus iuuandi medicis 44, 2.
 Medici ſpe mercedis adducti accedunt ad Glaucum aegrotum 27, 3.
 Mel Glauco nocet 27, 1. f.
 Meliſſus prooem. 4.
 Mercede Amphion et Zethus canunt fidibus 42, 2.: mercedem Phaon nauicularius exigit a diuitibus 49, 1.
 Mercenarii milites 8, 4. 38, 5. 39, 5.
 Mercurius hoſpitio excipitur ab Hyrieo 5, 2.
 Meretrices alere damnofum eſt 3, 7.
 Metallicae rei inuentor 10, 2.
 Metra, Erifichthonis filia, formam mutaffe ſuam, pro arbitrio, dicitur 24, 1.
 Μηλα dicuntur oues 19, 4.
 Milanion cur in leonem verſus dicatur 14, 3.
 Militia mulierum nulla vnquam fuit 33, 2.
 Minerua cur odiſſe coeperit tibiſ 48, 1.: vocatur ab Cernaeis Gorgo 32, 6.
 Minos, laborat 2, 4.: Daedalum, et Icarum, eius filium, in carcerem coniicit 13, 1.: includit Polyidum in monumento 27, 1.
 Minotaurus amatur a Paſiphaa 2, 4.: in montem mittitur, ex raptu viuit, interficitur a Theſeo, 2, 6. 8. 10.
 Moloffus, Mycenaeus, Cerberi canis cupidus 40, 3.
 Mortuis vitam reddere nemo valet 41, 1.
 Muri aenei vrſis Aeoli 18, 3.
 Mycene pagus 39, 2.

N

- Nauis Argo 31, 6. f.: Pelopis 30, 3.: Phrixi 31, 9.: naues Perſei 32, 10: nauis quaeque ſuum habet nomen 29, 4.
 Nephele, vicus ad radices Pelii montis, 1, 11.
 Neptunus hoſpitio excipitur ab Hyrieo 5, 2.
 Niobe in lapidem mutata 9, 1.
 Nubes, Centaurorum mater, 1, 12.

O Ocu-

RERVM MAXIME MEMORABILIVM

O

Oculus Phorcydum 32, 1.
 Oedipus 7, 2.
 Oenomaus 30, 1.
 Omphale, Iardani, regis Ly-
 dorum, filia 45, 2.: ei
 seruisse dicitur Hercules
 45, 1.
 Orgia Baccho instituit Or-
 pheus 34, 3.
 Orestias 20, 2.
 Orion 5, 4.
 Orpheus 34, 1. ff.
 Orthros, canis Geryonis alter,
 40, 2.
 Oues dicuntur *μῆλα* 19, 4.:
 oues aureae 19, 3.: oues
 Milestiae 19, 3.: oues He-
 sperii abiguntur ab Hercule
 19, 4.

P

Pandora quae? 35, 2.
 Pasiphaë amat taurum 2, 1.
 Pecunia non utebantur veteres
 42, 2.: pecuniam exigit Per-
 feus ab insulanis 32, 14.
 Pegasus equus alatus 29, 1.:
 navis nomen 29, 4.
 Pelias occiditur a filiabus 41,
 2.: Pelias alius, senex, su-
 datione utens, moritur 44,
 3.

Pelios mons 1, 3.
 Pellis arietis aurea 31, 6.
 Peloponnesus 6, 5.
 Pelops 30, 1.: mater eius est
 Eos 31, 9.
 Perseus Medusam interficit,
 sed sororibus eius reddit
 Oculum, 32, 13.: simula-
 crum Gorgus, h. e. Miner-
 vae, concidit 32, 6. 14.: in-
 festat oram Asiae maritimam
 32, 10.

Phaon, nauicularius humanus,
 49, 1.
 Pherae 41, 2.
 Phineus, Paeoniae rex, 23, 2.
 Phocis 6, 5.
 Phoenix, pater Europae, 16, 1.:
 frater Cadmi 6, 2.: rex Ty-
 ri 52, 1. 3. 5.: primus ge-
 stat, et solus, pallium pur-
 pureum 52, 4. f.
 Phorcyn, et filiae eius tres,
 32, 1. 5. 7.
 Phrixus, eius soror, iter, aries,
 vxor, 31, 1. 4.
 Phrygiae fluuius Marfyas 48, 4.
 Phthiae rex Athamas 31, 8.
 Pieria 34, 2.
 Pifa 30, 1.
 Poëtae cur fabulas confinxer-
 int prooem. 5. 3, 3.
 Polydestes in lapidem muta-
 tus 32, 3.
 Polyidus, Coerani filius, 27, 1.
 Pontus Euxinus 25, 2. 31, 1.
 Procris, Pandionis filia, 2, 4.
 Purpura quid? 52, 2.
 Purpureum pallium 52, 4.: ge-
 stat a regibus Phoenices
 folis 52, 5.
 Pyria, filia Phinei, 23, 2.

R

Rei familiaris incuria homines
 perdit 3, 4. f. 4, 2. 26.
 Rex vellus arietis aureum ab
 hospite accipere non debe-
 bat 31, 6.
 Rusticus musicus factus 48, 1.

S

Sagittarii Hydran opidum pro-
 pugnant 39, 4.
 Sappho amat Phaonem, et car-
 minibus celebrat, 49, 3.

Ad 2

Scor-

INDEX TERTIVS

Scorpius Orionem interimit 5, 5.
 Scylla monstrum 21, 1.: nauis
 Tuscorum piratica 21, 2.
 Semen effudere dii in corium
 bouis 5, 3.
 Senes fiunt iuuenes 44, 1.
 49, 3.
 Seriphus insula 32, 15.: eam
 deferunt incolae 32, 15.
 Seruorum opera non vteban-
 tur veteres 3, 5. 4, 2.
 Siciliae finitimas terras infe-
 stant Tusci 21, 2.
 Sinon, transfuga Graecorum,
 17, 3.
 Sisyphus 26.
 Sphinx monstrum 7, 1.: fuit
 Amazonis, vxor Cadmi,
 7, 5.
 Spingius mons 7, 2. 6.
 Statua aurea Eus 31, 9.: Gor-
 gonis, i. e. Mineruae, 32, 6.
 8.: statuarum forma prisca
 22, 2.: statua lapidea Nio-
 bes 9, 3.: statuae Daedali
 an ambulauerint 22, 2. f.
 Sthenelus, Perfei filius, 39, 2.
 Stheno, filia Phorcynis, 32, 7.
 Supplicem Alcestin violare non
 sustinet Admetus 41, 2.

T

Taenarum, promontorium La-
 conicae, 40, 3.
 Tanagra, Boeotiae opidum, 5,
 1.: fedes Hyriei 40, 3.
 Taurus an vixerit Europam
 per mare 16, 1. f.: taurus
 amatur a Pasiphaa 2, 1.: tau-
 rorum grex consternatur
 1, 3.
 Taurus Cnosius 16, 3.
 Tekmissus mons 29, 5.

Templum Iunonis Argiae
 51, 2.
 Terra coit cum Ladone fluuio
 50, 1.: memoriam Hyacin-
 thi interire non patitur 47,
 5.: Daphnen filiam intra se
 recipit 50, 3.
 Teumesius collis 8, 4.: Teu-
 messia vulpes 8, 1.
 Thebani muri quomodo ex-
 structi dicantur 42, 1.
 Theseus occidit Minotaurum
 2, 10.
 Thespieae, opidum Boeotiae,
 46, 2.
 Thressarum cultus 33, 1.
 Tibias odit Minerua 48, 1.
 Titanas Olympo expellunt
 Cottus, Briareus, Gyges,
 20, 2.
 Tricarenia, vrbs Ponti Euxini,
 25, 2. 40, 2.: Tricarenus
 Geryones 25, 5.: Cerberus
 40, 1.
 Troiani decipiuntur a Sinone
 17, 3. f.: conuiuantes oppri-
 muntur a Graecis 17, 1.: iis
 auxilio venit Hercules 38,
 5.: eos vexat Ceton rex
 38, 2. ff.
 Tunicae talares gestant Ama-
 zones 33, 1.

Turris, quae erat ad Hydran
 opidum, incenditur ab Her-
 cule 39, 6.

Tusci faciunt piraticam 21,
 2.

Tyriorum regio 16, 3.

V

Vellus aureum arietis 31, 6.
 Venationis nimium studium est
 damnosum 3, 4.

Venti

RERVM MAXIME MEMORABILIVM

- | | |
|---|---|
| <p>Venti in vtre dantur Vlyssi ab Aeolo 18, 1.: ventorum deus Aeolus 18, 1.</p> <p>Venerem Phaon naucularius gratis traicit 49, 2.</p> <p>Veteres fuerunt agriculturae studiosi 3, 5. 4, 2.: non vfi sunt operis fernorum 3, 5.: neque argento 38, 3. 42, 2.</p> <p>Vitam restituere mortuo nemo potest 41, 1.</p> <p>Vlyffes accipit ventos in vtre ab Aeolo 18, 1.: effugit Scyllam 21,</p> | <p>Volare homo non potest 13, 2.: neque equus 29, 1.</p> <p>Vpis a Lacedaemoniis vocatur Diana 32, 6.</p> <p>Vrion 5, 4.</p> <p>Vulpes est animal paruum et imbecille 8, 1.</p> |
|---|---|

X

Xanthus, fluvius, et opidum, 29, 5.

Z

Zethus f. Zetes, et Calais, Boreae filii, 23, 4.

A D D E N D A

P. 189. not. 9. *post Phaonem adde: Plin. H. N. 22, 9. Hard. Portentosum est, quod de ea [erynge] traditur: radicem eius alterutrius sexus similitudinem referre, raram inuentu: sed si viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc et Phaonem Lesbium dilectum a Sappho.*

In Ind. Graec. v. ξύλινος leg. v. 45. — lignum: et v. ὠραία *post* Cyrop. 4, 6. 4. *adde: Sic apud Gellium 6, 8. est virgo tempestiua, h. e. nubilis, viro matura.*



IOH. FRIDER. FISCHERI
P R O L V S I O N E S

Q V I B V S

LIBELLVS PALAEPHATI
DE INCREDIBILIBVS

EMENDATVR EXPLICATVR

VINDICATVR

INTERVM EDITAE AVCTIORES ATQVE
EMENDATIORES

ACCESSERVNT

ORATIONES DVAE

MVNERVM NOVORVM ADEVNDORVM

CAVSSA HABITAE

VIRIS CLARISSIMIS
BENIAMINI FRIDERICO
SCHMIDERO

GYMNASII ARTIVM ISLEBIENSIS
CONRECTORI

E T

IOH. CHRISTI. BENIAM
T E E G I O

GYMNASII ARTIVM ISLEBIENSIS
SVBCONRECTORI

H O C

AMORIS SVI MONVMENTVM
POSVIT

DEVM O. M
VEHEMENTER PRECATVS
VELLET IPSOS MVNERIBVS NOVIS
QVAM DIVTISSIME PRAEESSE
I V B E R E
I T A
VT DE RATIONIBVS IVVENTVTIS
LITTERARVM BONARVM CVPIDAE
ATQVE ADEO DE SALVTE
REI ET CHRISTIANAE ET PVBLICAE
QVAM OPTIME MERERENTVR

IOH. FRIDER. FISCHERVS

LECTORI BENIVOLO

S

IOH. FRID. FISCHERVS

In institutis scholarum Graecarum Latinarumque praeclaris multis reperitur etiam hoc, quod discipuli, et ingeniis bonis praediti, et amore doctrinae liberalis flagentes, iubentur saepius dicere lingua Latina, viris eruditis praesentibus, de rebus utilibus, copiamque, et ornatum, orationis capientibus, ita, ut ipsi magistri libellos edant, quibus fautores scholarum et bonarum litterarum ad audiendas orationes inuitentur atque conuocentur. His enim dicendi exercitationibus non modo stylus, ingeniumque, tironum acuantur, et aluntur; memoria augetur et crescit; lingua, vox, vultus, gestus, aures, erudiuntur et conformantur; liberalis denique et ingenua quaedam confidentia excitatur et affertur; sed, ubi plausum oratores fauorumque auditorum tulerint, et ipsorum, et condiscipulorum, si non omnium, at saltem multorum, in pectoribus amor studiumque laudis, et litterarum, vel accenditur, vel inflammatur. Hoc autem studio laudis, hac litterarum cupiditate, tironum, dici non potest, quantopere augeatur, et incitetur, ipsorum magistrorum liberalium industria, ac diligentia, ut etiam valetudinis, vitaeque, cum periculo consulere discipulorum rationibus studeant, quum ea re ipsius religionis Christianae, ipsius patriae communis, rationes et commoda mirifice adiuvantur intellegant. Et ipsa necessitas scribendi atque edendi libellos, quibus patroni fautoresque scholarum corrogentur, offert magistris commodissimam amplissimamque occasionem, cum bene merendi de salute, et discipulorum, et ipsarum litterarum, tum probandi omnibus doctrinam atque eruditionem. Quis autem est ab studio et cupiditate laudis omni adeo alienus et auersus, qui

P R A E F A T I O

non amplectatur cupidissime, atque adeo arripiat hanc rei tam praeclaræ occasionem avidissime?

Nam profecto diligens et accurata interpretatio librorum Graecorum Romanorumque veterum, qui ut legerentur in ludis litterariis cotidie, maiores sapientissime constituerunt, non solum, ut perspicuitatis, copiaeque, et ornatus, orationis natura et vis cognosceretur mature ab ingenuis adolescentibus, sed ut omnino iustas interpretationis praecepta et leges imbiberentur, utque, quod maximum est, tironum animi caperentur statim ab ineunte aetate studio gravitatis et constantiae, quas contemneret et despiceret omnes res humanas, solam bonorum laudem, rectaeque factorum conscientiam, diligeret et suspiceret: quorum quidem bonorum vim atque utilitatem, quis tam averfus a vero, tam praecipuus, tam mente captus, est, qui non videat, et fateatur, diffusam patere per omnia vitae genera, per omnem artium ingenuarum orbem, per regiones theologiae, iurisprudentiae, medicinae, philosophiae, atque adeo per vitae cotidianae spatia? horum igitur librorum enarratio idonea suppeditare magistris uberrimam semper materiem potest, in qua tractanda, et expolienda, et limanda, ita versetur ipsorum solertia et diligentia, ut adiuvent discipulos, litteras ornent, probent doctis hominibus doctrinae elegantiam et copiam. Etenim in iis quoque libris, qui editi sunt, et explicati, a summis doctissimisque viris, inveniuntur non pauca, aut omnino neglecta; quis enim in tanta rerum, saepe minutissimarum, multitudine tam perspicax sit, ut nihil intactum relinquat? aut male, et perperam dicta; quum imbecillitas naturae humanae tanta sit, ut nullo modo valeat omnia peccata, omnes errores, effugere et vitare; aut non satis expedita; quum multa multis interpretibus plana videantur, in quibus aliorum ingenia haereant. Itaque neglecta tractari, praecepta corrigi, obscura et implicita explicari et illustrari, bene rectaeque tradita uberius exponi, ab auctoribus eiusmodi libellorum ita possunt, ut scientia tironum multum augeatur, ipsa-

P R A E F A T I O

ipsarum litterarum artiumque intelligentia non parum adiuuetur, aliorum denique opinio de magistrorum doctrina vehementer confirmetur. Nos quidem reprehendere soleamus saepe taciti inertiam stultitiamque magistrorum illarum, qui, quum scribere iubentur, atque edere, huiusmodi libellos, Programmata vulgo vocant, vel omnem eorum materiam, non tam comportent et congerant diligenter, quam corripiant potius subito, et vero furentur, e bonis illis promptuariis thesaurisque antiquitatum Graecarum et Romanarum, eamque rudem et indigestam proponant, vel in iis differant de rebus leuibus, et iutilibus, et, neque publice, neque priuatim, utilibus, ita, ut hi libelli breui neglegantur, et, tanquam fetus monstri, abiciantur ab omnibus, quum alterius generis scripta cupide attingantur ab omnium artium studiosis, maiorisque saepe, quam multa magna et ponderosa volumina, fiant.

His igitur causis adductus ego institui, austeritate et exemplo multorum, et superiorum aetatum, et saeculi nostri, eorumque doctissimorum, magistrorum scholarum, in scribendis edendisque huius generis libellis eam sequi rationem, ut, quas ipse obseruassem in legendis enarrandisque scriptorum utriusque linguae libris, vel neglecta ab aliis, vel perperam tradita, vel non satis explicata, ea proponerem. Atque eius rei initium feci ante hoc ipsum triennium ab Fabularum Palaephati corpusculo, cuius bona et dotes tiro-nibus patefecissem priuatim, demonstrassemque, aliquoties. Quem quidem libellum quum legi scirem, et enarrari, in scholis multis; quum occupatus essem hoc ipso tempore in adornanda editione eius noua; quum videndum intellegerem, ne emtores illiberales deterrerentur mole libelli, quas eorum sordes impedimento essent, ne omnia persequi uberius in notis possem, quae tamen, vel ad constituenda texta Graeca, vel ad intellegenda verba, pertinere viderentur; quum ex-peti a multis quatuor illos libellos non ignorarem, quos superioribus annis separatim edidissem: faciundum putavi, ut eos integros, sed nonnullis tamen in locis auctos, con-

P R A E F A T I O

iunctim emitterem, si forte magistri scholarum docti et graves, qui diligentius omnia, accuratiusque, cognoscere cuperent, adire eos et consulere vellent. Dedimus vero iis comites Oratiunculas duas: unam, ut commendaremus Camerarii, viri summi, memoriam popularibus nostris, atque aliis, qui vellent diuinam viri gravitatem, vel admirari, vel aemulari, et ad eandem laudem doctrinae, meritumque in litteras bonas, adspirare: alteram, ut haberent monumentum aliquod pietatis aduersus amplissimum Civitatis Lipsiensis Ordinem nostrae posterit. Iam ut collecta a nobis, et edita, sunt haec Opuscula, ut prodessemus maxime alumni disciplinae nostrae, litterisque bonis, et fautoribus Scholae Thomanae gravitatem, et honestas de rationibus eius bene merendi voluntatis constantiam, probaremus: ita tu, Lector docte, fauebis operae huic nostrae, et precaberis necum, ut contingant omnibus Scholis magistris, qui studia tironum adiuuare omnibus modis studeant, atque adeo religioni, rei publicae, quam plurimum disciplina sua profint. Scripsi Lipsiae, in Schola Thomanica, m. Quintili A. C. CIOCCCLXXI

Iam vero quum edidissemus nuper denuo ipsum Fabularum Palaephati Corpusculum, et emendatum, librorum veterum ope, multis in locis, nec paucis animadversionibus auctum, quarum lectores nos consilii nostri rationes saepe numero delegare ad hoc Prolusionum volumen coegissent: eius quoque recensum nobis ita agere visum est, ut nonnulla, quae praecipissemus in superiore editione, vel corrigeremus, atque magis definiremus, vel pluribus, et rationibus, et exemplis, illustraremus, confirmaremusque. Orationi autem de Camerario subiunximus locos e libris summi viri excerptos, quorum auctoritate iis, quae a nobis dicta essent, maior conciliaretur gravitas. Quae quidem opera nostra et diligentia ut omnibus bonarum litterarum studiosis, et grata, neque inutilis, reperiatur, ex animo optamus. Scripsi Lipsiae, in Schola Thomanica, Kalendis Septembribus A. C. CIOCCCLXXXVIII

P R O

PROLVSIO PRIMA

Q V A

LOCI FABB. PALAEPHATI NON NVLLI EMENDANTVR VINDICANTVR ILLVSTRANTVR

PAVLVS LEOPARDVS EMENDATT. LIB. IIIL. CAP. XX

Præclare illos de studiosa cohorte mereri semper sum arbitratus, qui obscura, aut deprauata, auctorum loca, aut illustrare, aut restituere, conantur.

Q. B. V

Consueuerant adhuc, nesciebam quo moris auctore, præceptores Scholæ Thomanae quatuor superiorum Ordinum cum iis discipulis, quorum etiam corpora aluntur liberalitate et benignitate Senatus; his enim, siue precantibus, siue cibum capientibus, magistri illi adesse in orbem, singulis hebdomadibus, solent, certe debent; pridie Kalendas Ianuarias cuiusque anni conuenire sub vesperum in eo Conclauī, in quo discipuli quartæ Classis erudiuntur, ita, ut Rector oratiunculam breuem, vernacula lingua, haberet, qua, et gratias ageret deo pro beneficiis anno quoque acceptis, et auxilium ab eo imploraret in tempus futurum, discipulisque, cum suo, tum Collegarum, nomine, cursum anni noui felicem secundumque precaretur¹. Quo
(A) 5 qui.

1. Iac. Thomafius in Actis Scholæ Thomanae notauerat ad a. d. xxxi. Decembris A. C. cīdīdclxxvi. hæc: Abends gegen 5. Uhr wurde

das alte Jahr von den alumnis, in præsentia mea, Conrectoris, et Tertii, in Auditorio primanorum beschlossen, more consueto, mit geistlichen Liedern,

quidem instituto, et consuetudine, nihil profecto praeclarior, nihil melius, nihil laudabilius, fingi cogitarique posse arbitramur. Quid enim, quaeso, maius, quid sanctius, quid persona et professione Christiani dignius, fieri potest, quam ut laudetur, et extollatur, benignitas dei, ac liberalitas, summa et immensa? Quid salutarior a nobis, quid priuatim, publiceque, utilius, suscipi potest et peragi, quam ut imploretur, flagiteturque, ardentem auxilium dei, sine quo omnia studia, omnes labores hominum irriti et vani, etiam in summa ingeniorum bonitate, reperiantur? Quamnam re magis pietas aduersus discipulos ab magistris declarari potest, quam sancta atque pia precum grauitate? Etsi igitur consuetudo illa est eiusmodi, ut reprehendi a nemine ullo modo recte possit, immo laudari ab omnibus omnino summopere debeat: non dubitauimus tamen immutare eam aliqua ex parte, qui alienissimi natura sumus ab iis mutationibus, quae non satis appareat plus damni et detrimenti, an emolumenti et utilitatis, allaturae sint, sed non ab his, quarum fructus multi et magni praecipui animo cogitationeque certissime possint. Persona enim oratoris imponetur posthac, salua tamen aliorum libertate, discipulorum classico- rum et veteranorum cuidam: sed Rector ne cui forte onus scilicet laboris a se remouisse omnino, alii imposuisse, piger et mollis videatur, has suscipiet partes, ut, non modo proponat argumenta Oratiuncularum, sed eas etiam emendet diligenter, atque edat libellos, quibus, ut magistri Scholae omnium Ordinum, ita discipuli reliqui, ad audiendas Oratiunculas, inuitentur atque conuocentur. Qua quidem in re sequi placuit duplicem maxime utilitatem, alteram priuatam, discipulorum, alteram publicam, Scholae. Nam Scholae quidem sperabamus maiorem famam, existimationemque, conciliatum iri, si, et ciues, et peregrini, viderent, qua in re versaretur opera, et diligentia, magistrorum;

Liedern, und ward gesungen
 1. Helft mir Gottes Güte prei-
 sen. 2. Das alte Jahr vergan-

gen ist. 3. Nun danket alle
 Gott.

rum; si cognoscerent, quantum studii et industriae ab iis poneretur, cum in acuendis, augendisque, mentibus, et ingeniis, discipulorum, tum in emendandis animis, et gubernandis moribus, eorundem: sed discipulos ipsos intellegebamus ea re nancisci maiorem copiam et potestatem probandae, atque adeo ostentandae, facultatis suae, et profectus in bonis litteris, fiduciamque ingenuam, vade manaret magna in reliquam vitam emolumentorum vis et multitudo: ut adeo vocibus occurreretur eorum, qui queruntur et clamant, disciplinae nostrae alumnos non produci saepius in lucem et conspectum aliorum, neque exerceri satis in rebus iis, quibus comparetur eloquentia, oratoriaque facultas, quasi vero ista existere possit, et nasci, sine magna multarum rerum scientia, haecque consequi aliter liceat, quam studiosa lectione, et diligenti interpretatione, poetarum, oratorum, historicorum, etiam philosophorum, veterum utriusque linguae optimorum! quasi vero illi magistri non melius mereantur de rationibus discipulorum, qui ostendant, quibus viis mentes, animosque, ditari rerum optimarum opibus oporteat, ut habeant, quod loco promant, quam qui clamare suos cogant, sonosque inanes fundere! quasi vero inanis, praeceptique, loquacitas multorum ludorum non plus noceat, et ipsis discipulis, et rei publicae, quam tarda, et docta, aliarum scholarum taciturnitas! Sed mittemus nunc omnes querelas, ne forte offendere ququam voluisse videamur.

II. Quia igitur totam rem pertinere cupimus ad nos, discipulosque nostros, et maxime ad hos: ideo complectemur etiam libellis, quibus convenire ad audiendas Oratiunculas commilitonum iubeantur, et exponemus copiosius, uberiusque, ea, quae a nobis breviter tradita sunt superioribus annis in Lectionibus, vel publicis, vel priuatis. Atque nunc quidem instituemus ea proferre, quibus illustretur libellus lectu non magis iucundus, quam utilis, qui Palae-phatum, Peripateticum philosophum, creditur auctorem habere, sed cuius exigua tantum, brevisque, particula ad nostram

nostram peruenit memoriam. id quod non parum mirandum putamus, quum, vt auctoris doctrina a multis veterum laudatur ², ita ipse libellus lectitatus magno studio, magna cupiditate, reperiatur ab iis, qui historiae fabularis notitiam consequi idoneam vellent. Atque hunc superiorum saeculorum huius libelli amorem, hanc cupiditatem arbitramur satis declarari magna multitudine Codicum manu scriptorum, quos aetati nostrae videre contigit, et qui e diuersis fontibus singuli, non ex vno omnes, fluxisse videntur. Certe differunt inter se, et discrepant, tantopere, vt vix inueniatur libellus alius, qui aequae paruus sit, et in hac breuitate sua aequae magna, et prope fastidiosa, lectionum diuersarum copia oculos, ingeniaque, lectorum fatiget. Sed huius tantae lectionum diuersarum multitudinis fons, credo, demonstrari non vnus potest. Etenim libellus, aut ab ipso auctore bis, saepiusque, editus erat et immutatus, vt librarii lectiones diuersarum editionum simul exhiberint; quam rationem non nouam esse, sane non ignorant harum litterarum periti, quum, et Salmasius, summus vir, vsum eius, in constituendis Achillis Tatii verbis, commendarit, et Marclandum, doctissimum virum, eadem nuper constet feliciter vsum esse in restituendis integritati pristinae locis Maximì Tyrii multis *): aut interpolatus est ab Grammaticis, et auctus, vel ex ingenio, vel, id quod propius ad verum putamus accedere, ex aliis eiusdem argumenti libellis, quae additamenta non satis distincta ab Palaephati verbis, immista iis, librariorum culpa, atque intexta, paulatim

2. Locis eorum, collectis a Tollo, addi possunt hi, Eustath. ad Il. β^o p. 326. Rom. Tzetzes Chill. 9, 273. 10, 332. Sed eximi inde debet *Plutarchus Symposs. lib. XXVII.*; qui liber nusquam extat. Est ille ipse versiculus Athenionis Comici ab Athenaeo lib. 14, 23. p. 661. B laudatus.

Fontem istius erroris aperuit Fabricius bibl. Gr. 1, 2r. 4. p. 139. Vol. 1.

*) In constituenda librorum Ciceronis lectione eiusdem observationis rationem haberi iussit iam Camerarius. v. Ernestius Praefat. ad Cic. Opera p. 30.

latim videntur 3: quomodo nonnullas particulas Iustini, ab Grammaticis in marginibus librorum Curtii scriptas, nouimus industria male sedula eorundem hominum translatas esse in ipsam Curtii orationem 4. Certę varietas lectionis, quae reperitur in Codicibus Palaephathi, tanta est, et talis, vt ab librariis proficisci solis nullo modo potuerit. Caeterum haec ipsa res impedimento fuisse intellegitur, ne editores Palaephathi veras vbique lectiones indagare possent, ita, vt multi etiam nunc loci mendose scripti legantur: quorum locorum quatuor constitui genera recte posse putamus. Aliorum enim eae sunt laebes, quae eximi et tolli, ope Codicum manu scriptorum editionisque Aldinae, sine vlllo negotio, queant: alij ita affecti sunt et corrupti, vt vel coniecturae auxilio sanitatem recipere, integritatemque, possint: alios nimia Criticorum quorundam audacia perperam et male attigit: aliorum denique ea est ratio, vt vix, aut omnino non, definiri possit, quomodo legi debeant. Quatuor igitur horum generum locos, si non omnes, attamen plurimos, maximeque insignes, persequemur breuiter his in libellis: atque adeo in hac prima Prolusione initia eius rei, fauente deo, facere instituemus. Ponentur autem loci a nobis promiscue: lectores eorum quemque reuocabunt ipsi, ac redigent, ad suum genus et classem. Et quum Latinos harum Fabularum interpretes multorum verborum, locorumque, vim et sententiam viderimus, aut omnino non, aut non satis tamen, assequutos esse: etiam horum locorum nonnulli adiicientur a nobis, atque explicabuntur.

III. Primo igitur Capite, quo complexus est Palaephatius elegantem Centaurorum fabulam, ait, Ixiona, Thessaliae regem, proposuisse amplissima praemia ei, qui tauros, rura Thessalorum ad Pelium montem depopulantes, sustulisset. Verba Palaephathi haec sunt 5, ἐκήρυξεν ἔν ὁ Ἰξίων, ὅς, εἴ τις ἐν ἑλοῖτρ' τὰς ταύρας, τέτρω δ' ἅη χεῖράματα πάλμ-

3. Vid. quae a nobis dicta sunt in ipsis notis ad fab. 28, 22. 31, 22. etc.

4. Vid. Curt. 4, 12. 22. coll. Iustin. 11, 9. 2.

5. Fab. 1, 4.

πάμπολα. Ita Aldus edidit e suo Codice, eiusque exemplum sequuti, hoc quoque loco, sunt reliqui editores, praeter Dresigium, qui primus, de sententia et coniectura Tollii, pro *ἔτις ἔν ἔλοιτο* reposuit *ἔτις ἀνέλοιτο*, et Optatium δῶν ipse mutauit, auctoritate Codicum Oxoniensium et Tolliani, in Infinitium δώσεν· an recte et ordine, videbimus nunc, et quaeremus, breuiter. Atque Aldina quidem scriptura nacta est patronum nuper, et defensorem, etsi non admodum acrem et pertinacem, Abreschium, doctissimum virum ⁶, qui *ἔτις ἔν* dictum esse pro *ὅσις ἔν* doceret, ita, vt integra omnia et sana putari, nullum subesse vulnus videri, deberet. Ego vero laborare orationem Mythici suspicor non vno modo, eique sic succurrendum censeo, vt rescribatur ex iisdem Oxoniensibus libris, *ἐκήρυξεν ἔν ὁ Ἰζίων, ὡς, ἔτις ἀνέλοι τὰς ταύρας, τέτρω δώσεν χρήματα πάμπολα*. Etenim quanquam libenter fatemur, neque imuite Abreschio damus, *ἔτις* accipi posse pro *ὅσις*· tamen concedi nobis vicissim a viro docto debere speramus, *ἔτι* pro *ὁ*, *τι*, et *ἔτις* pro *ὅσις*, simpliciter nudeque poni, ita, vt particula *ἔν* iis non adhaereat comes ⁷: quam particulam aures quoque, hoc quidem certe loco, respuere videntur, quum praecedat *ἐκήρυξεν ἔν*. Quo iudicio aurium nihil est profecto verius, nihil certius. Palaephatus enim hoc in libello nusquam simplici verbo *αἰρεῖσθαι* vsus reperitur sic, vt esset *pecare*, vbique verbo composito *ἀναιρεῖν*. Quae quidem observatio, non tantum syllabam *ἔν* mutari in *ἀν* iubet, sed male etiam a Dresigio receptum *ἀνέλοιτο* docet. Sed haec Dresigii emendatio potest alia quoque ratione conuinci. Nam vt taceam, tertias personas istius Temporis, vtriusque Numeri, Medii et Actiui, sequentibus Articuli syllabis similibus, saepissime permutatas inter se a librariis esse in omnibus prope-

modum

6. V. eius Animaduers. ad Aeschylum To. I. p. 127. fingerus ad Plutarch, E. PP. c. 4, 9. p. 21. Add. Eurip.

7. V. Obseruat. Misc. Critt. Phoen. 253. nouae To. 6. p. 489, f. et Hau-

modum verbis ⁸, vehementer dubitamus, an vllus scriptor probus et diligens, qualis fane Palaephatus esse voluit, ἀναγεῖσθαι dixerit de iis, qui alios occidant iussu et auctoritate aliena, eaque mente, vt profint aliis, non sibi. Atque sic satis confirmatam esse speramus scripturam Oxoniensium Codicum, suaque Palaephato verba, opera nostra, reddita opinamur. Sed etiam pro Optatiuo δῶν sine vlla controuersia reponendus, fide eorundem librorum Oxoniensium, quibuscum, vt fere alibi, ita hic quoque, Tollerianus Codex conuenit, cum Dresigio est Infinitiuus δῶσεν. Nam primo ante δῶν inferi Coniunctio αὖ debebat, quum δῶν sit *dedisset*, sed αὖ δῶν *daturus esset*, vel potius pro δῶν, quum non significetur continuatio rei, reponendum erat δῶσι· deinde omnino particulas ὥς, et ὅτι, Infinitiuui tum recte sequuntur, quum praecedunt verba eiusmodi, quibus iungi simpliciter Infinitiuui, salua perspicuitate, saluis legibus Grammaticis, poterant ⁹, ita, vt interdum particulae illae ab ipsis scriptoribus, vt a Palaephato ¹⁰, omissae reperiantur: a quo tamen eas aliis in locis orationi insertas esse scimus ¹¹. Accedit, quod facilius intellegi, et iudicari, potest, quomodo factum sit, vt Infinitiuus in Optatiuum mutare-

8. V. c. ap. Xenoph. Cyrop. 4, 1. 7. Ald. aliique libri editi, etiam Cod. Altorp., habent ἤρχοντο τῷ λόγῳ· sed in Iunt. et Cod. Guelferbytano scriptum extat ἤρχον τῷ λόγῳ· 7, 5. 13. pro ἐνόμιζε τῶν καταπεπραγμένων in eodem Cod. Guelf., et in libris Suidae v. κοινῶνας, librarii scribere ἐνομίζετο τῶν καταπ.· et 8, 1. 6. pro προσηγάναζε τὰς τοιαύτας Cod. Guelf. habet προσηγαγκάζετο τὰς τοιαύτας. v. ad Aeschin. Socr. 1, 12. 7.

9. Aesop. fab. 21. συμφωνήσασα, ὥς — σὸν ὁμολογη-

θέντα μισθὸν αὐτῷ δώσειν. Plut. E. PP. 7, 13. ὁ Κράτης — ἔλεγεν, ὅτι — ἀναβάυτα ἐπὶ τὸ μεταπρότατον τῆς πόλεως ἀνακραγεῖν μέρος. Iustin. M. Apol. 1, 12. δοξάζομεν, ὥς λαθεῖν θεὸν κακόεργον — ἀδύνατον εἶναι.

10. Fab. 7, 8. κηρύττει δὲ ὁ Κάδμος, τῷ ἀποκτενέοντι τὴν Σφίγγα δώσειν χρήματα πολλὰ. Sic apud Platonem Phaedon. 58. πέπεισμαι τοίνυν — ὥς — μηδὲν αὐτῇ δεῖν, ὥς abest, sed perperam, a libris Eusebii.

11. Vid. fab. 24, 1. 35, 1.

taretur a librariis, Grammaticisue, quam contra, quum verbum ἀνέλοι istos homines offendere et decipere potuerit; praesertim quum hic ipse error commissus ab iis non minus, quam ab recentioribus Criticis nonnullis, deprehendatur multis in locis caeterorum scriptorum, ut Xenophon-
tis¹², Apollodori¹³, et aliorum¹⁴, ita, ut non parum mirer, Brunerum alio loco¹⁵ Palaephathi pro ὡς ἀλλάσσει legendum putasse ὡς ἥλλασσε, aut certe intellegendum εἰωθε arbitratum esse; quum tamen fugere eum nullo modo potuerit, apud ipsum Palaephatham, Capite quinto et tricesimo, eodem modo legi ἐκ ἀνεκτὸς λόγος, ὡς — ἀναδέναι αὐτὴν καὶ ἄλλοις τὸ πλάσμα. Neque vero sic omnia verba primi Capitis integra existimari, et sana, debent. Nam ut dubitari nullo modo potest, quin statim initio Capitis, post verba πλὴν τῆς κεφαλῆς, inferi ex Oxoniensi Codice primo, duobusque aliis, debeant verba ταύτην δὲ ἀνδρὸς quippe quam accessionem orationi Palaephathi fieri, cum verba eius ἔτε γὰρ ἡ φύσις σύμφωνος ἔππε καὶ ἀνδρὸς iubent, tum etiam particula μὲν post vocabu-

12. H. Gr. 3, 4. 11. Ἀγγελ-
λαος δὲ — ἀπαγγεῖλαι Τι-
σαφέρνει τὰς πρέσβεις ἐκέλευ-
σεν, ὡς πολλὴν χάριν αὐτῷ
ἔχειν. vbi Leoclauius e li-
bris aliis restitui iubebat ἔχοι.
Hinc ap. eundem Xen. Cyrop.
1, 6. 19. p. 85. λέγεις σὺ —
ὡς — δεῖν — rectius legi
puto in Cod. Bud., quam in
aliis libris ὡς — δεῖ —: ut 3,
1. 12. ἄλλ' ἐδ' ἐγὼ τῷτο λέ-
γω, ὡς τὸ γινῶναι μόνον τὰς
βελτίους σωφρονίζειν. sic
enim in Cod. Guelf. scriptum
est, quum caeteri libri pro
σωφρονίζειν habeant σωφρονί-
ζει. v. ad Plat. Phaedon. 8, 7.
et 58, 11.

13. 2. p. 115. Fab. μαθὼν
δὲ Λυγίας, ὅτι κατ' ἐπιτα-
γὴν Εὐρυσθέως τῷτο ἐπιτετε-
λέσθαι. vbi Faber corrigebat
ἐπιτετέλεσθαι. quæ erat et-
iam Codd. Palatt., aliorum-
que, lectio: quam Heinio re-
cipere in ordinem placuit.

14. Diod. Sic. 15, 57. p. 48.
To. 2. συμβελεύσαντος, ὅτι
— διαφυλάττειν. vbi Scali-
ger addi volebat δεῖ. temere.
V. Stephan. et Vuesfel. ad
Diod. Sic. 4, 26. p. 272. To.
1. Raphel. ad Actt. 27, 10. et
Abreschius dilucc. Thucydd.
p. 6. et Auctar. dilucc. Thu-
cydd. p. 243. f.

15. Fab. 24, 1.

cabulum ἵππων ita eo loco *), quo Centauri, a Lapithis vocati ad epulas nuptiales Pirithoi, Ixionis filii, vxoribus horum raptis, domum reuertisse leguntur, pro ὥχοντο Φεύγοντες εἰς τὴν οἰκίαν, ὅθεν ὠρμῶντο, editores quin ὥχοντο Φεύγοντες εἰς τὴν οἰκίαν, ὅθεν ὠρμῶντο, recipere debuerint, quis neget? Quanquam enim Phasianinus quoque εἰς τὴν οἰκίαν legit: tamen non solum verba ὅθεν ὠρμῶντο cogitare lectorem, cogunt de regione, quae ab ipso Palaephato paulo superius ἡ ὑπώρεα nominata est, sed etiam scriptura Oxoniensium Codicum εἰς ἰδίαν, quam satis manifestum est e glossemate natam esse, quam necessaria, quam vera, sit ista emendatio, non minus declarat, quam vsus loquendi scriptorum veterum ¹⁶. Sed mittemus tandem primum Caput, veniemusque ad alias Fabulas, quas certissimum est, vt supra diximus, multis mendis contaminatas esse librariorum, vel inscitia, vel negligentia, quae nondum sint scientia editorum, et diligentia, exemptae et sublatae.

III. Sexto quidem Capite Cadmus Phoenix dicitur serpentem occidisse, eiusque dentes in humum pro semine iecisse, vnde subito viri armati ¹⁷ extiterint: qui Graeco vocabulo Σπαρτοὶ appellantur. Verbis autem, quibus vtitur Palaephatus in narranda re illa, his, Λέγεται, ὡς ὁ Κάδμος, ὡς Φασιν, ἀποκτείνας τὸν ἐν Λέρῃ δράκοντα, καὶ τὰς ὀδόντας ἐκλεξάμενος, ἔσπειρεν ἐν τῇ ἰδίᾳ γῇ, mendae insunt, sine vlla controuersia, duae. Nam primo quidem, quid velint sibi verba ὡς Φασιν, non apparet, post verba λέγεται ὡς, quum sint aperte superuacanea. Sed reperiri, opinor, facile potest via, qua hunc in locum migrarint. Aliis enim in locis libelli Palaephatus, narrans et exponens fabulas, orditur narrationem earum verbis Φασιν ὡς. Haec igitur verba quis, siue e locis illis, siue ex altera

*) f. 9.

17. Ἄνδρες ἑνοπλοὶ Apol-

16. V. Heliodor. 7. p. 302. lodor. 3. p. 169. Fab.

320. Comelin.

altera ipsius Palaephathi editione, in marginibus libri sui notarat: quae hominis diligentia quo valeret, quum librarii imperiti non viderent, intulerunt verba illa in reliquam Mythici orationem, sed loco alieno. Longe tamen maius est, et gravius, vulnus alterum, quod manus eorundem hominum eidem particulae sexti Capitis infligere, sed aequè apertum: ut mirer haud parum, neminem illud, praeter Galeum, vidisse, et de eo sanando cogitasse, sed multo magis, Dresigium remedio eius a Galeo proposito non usum esse. Nam Lerna quidem perhibetur fuisse palus, vel fons, in Argolide: et anguis, incola huius paludis, huius fontis, cui, ipso Palaephato auctore ¹⁸, vnum corpus, sed quinquaginta capita, fuere, ab Hercule confectus et occisus fertur: quae alienissima esse ab eo serpente, de quo exponit Palaephatus sexto Capite, nemo est, qui nesciat. Namque hic ¹⁹ a Cadmo necatus narratur, habuisse vnum caput, et habitasse in Boeotia iuxta Thebas in fonte quodam: qui fons ab Hygino ²⁰ quidem *Castalius*, sed ab aliis veteribus, et scriptoribus, ut Pindaro ²¹, Euripide ²², Callimacho ²³, Nonno ²⁴, et Grammaticis, ut Eustathio ²⁵, atque Scholiaста Pindari ²⁶, *Δίρκη* vocatur, quod nomen in scholiis Tzetzae ad Lycophrona ²⁷, ex Galei indicio, in *Δέρκη* mutatum legitur. Nobis vero haec scriptura vitiosa videbatur, ut non esset, cur Galeus apud Palaephatum mallet reponi τὸν ἐν Δέρκη potius, quam τὸν ἐν Δίρκη. Et videtur sane esse vitium operarum in exemplo Galei utroque. nam in ipsis Tzetzae libris legitur *Δίρκη* et quis credere sustineat, Galeum, doctissimum virum, verum fontis illius vocabulum fugisse? Sed ista emendatio, nostro quidem iudi-

18. Fab. 39, 1.

19. A Plutarcho de flumm. c. 2. p. 5. vocatur κρηνοφύλαξ Δράκων.

20. Fab. 6. et 178.

21. Pythth. Od. 9, 153. Isthm. Od. 6, 108.

22. Phoen. 102. 381.

23. H. in Del. 76.: ubi v. Spanhemius.

24. Dionys. 4. extr. p. 83. Falquenbourg. p. 132. Hanou.

25. Ad Dionys. Perieg. 391.

26. Ad Pythth. d. I.

27. p. 156. Opor.

iudicio, talis est, ut ne Pyrrho quidem de veritate eius, et elegantia, dubitare ullo modo posse videatur. Litteras enim A et Δ, E et I, K et N, ut maiusculas; ita etiam minusculas, quam facile confundere inter se oculi, atque adeo calami, librariorum potuerint, quis non videt? Quam multis autem in locis permutatae inter se sint illae ipsae litterae ab istis hominibus, neminem fugere, qui nostrarum litterarum studiosus sit, speramus; praesertim quum omnes id facile possint vel ex Cantero accipere et cognoscere. Et quum *Dirce* fontis nomen sit paulo rarius, minusque notum, vocabulum, sed *Lerna* palus notior multo, crebriusque commemorata ab antiquis scriptoribus, quis miretur, vocabulum ignotius permutatum esse satis noto, quum hoc permutationis genere nihil frequentius esse, nihil usitatus, soleat? Neminem enim adeo stulte iniquum fore putamus, qui ipsum Palaephatum, hominem historiae fabularis in primis gnarum, lapsum esse ea in re, et errasse, vel suspicari possit.

V. Sed cancelli, quibus circumscribere constituimus hos libellos, telam istam ponere nunc nos, alioque tempore, si deus, vitae nostrae mortisque arbiter, siuerit, resumere, iubent. Consilium enim nostrum promissi nos, et officii, admonet, ut vos, Collegae coniunctissimi atque optimi, rogemus, velitis amorem erga nos, atque adeo Scholam nostram, eo declarare vestrum, ut cras hora quinta vespertina conveniatis nobiscum in Auditorio primae Classis, operamque detis alumno disciplinae nostrae, *Christiano Hoefero*, Bibra Thuringo, Humanissimo Adulescenti, *de sapiente usu munerum bonorumque dei, ut fonte uberrimo et perenni omnis vitae beatae*, dicenti. Is enim eo dignior est hoc beneficio, hoc studio et favore, nostro, quo maius in eo modestiae, virtutisque, studium elucere, quo maiore animum eius amore, et cupiditate, bonarum litterarum flagrare, nostis. Vos autem, carissimi Discipuli, cohortamur etiam atque etiam, ut Condiscipulum hunc vestrum attente

(B) 2

audia-

audiat, modestiam eius, virtutem, studium litterarum, imitari, in primisque cohortationes ad sapientem rectumque munerum diuinorum usum sequi, studeatis, hoc est, ut cibo et potu utamini ad corporis valetudinem, viresque, tuendas et firmandas, sed bonis litteris, religionisque integritate et castitate, ad facultates mentis, animique, adaugendas. Quorum quidem bonorum opportunitate ut frui possitis diu, deum, omnium bonorum auctorem parentemque vnicum, precabimini, ut Patronos Scholae nostrae, eorumque principem, cuius prudentiam summam, qua senatui, qua ciuitati vniuersae, praeest, tantopere admiramur, et Curatores, magistrosque vestros, atque ut omnino eos, qui diuinas litteras, vel in scholis, vel in templis, vrbicis interpretantur et tradunt, ita maxime eos, qui sacra faciunt in aede Thomana, quorum fidei cura animorum vestrorum commissa est, florere iubeat. Sic enim vos facile praeuidemus, anno futuro, beatissimos felicissimosque fore. Hac vero felicitate vestra nobis quidem nihil gratius contingere, nihil iucundius, posse, sponte intellegitis, quum parentum, liberorumque, necessitudinem ipsa natura velit non maiorem esse necessitudine discipulorum, et magistrorum. Scripsi in Schola Thomana a. d. III. Kal. Ianuarias A. C.

CICIODCLXVIII

PROLVSIO SECVNDA

Q V A

L E X C R I T I C A

Q V A E

IVBET DE LECTIONIBVS DVABVS
ELEGI EAM QVAE RARIOR SIT ET
ELEGANTIOR CVM CONFIRMATVR TVM
CIRCVMSCRIBITVR EXEMPLIS E PARV
LARVM PALAEPHATI CORPVSCVLO
PETITIS

Q. B. V

Et si regularum, praeceptorumque, maxima est in omni genere artium disciplinarumque utilitas, quum repellantur attentionem animi, atque diligentiam, vel laceßere et excitare, vel acuere et confirmare, quum ostendant, quomodo inuestigari quaeque ac quaeri, cum possint facile, tum etiam debeant: tamen diligenter videndum apparet, ut regulae ipsae rectae sint, neque pravae, ne, quum demonstrare viam debeant, qua perueniatur ad sedem et domicilium veri sine vlllo errore, sine vllis anfractibus et ambagibus, nos ita abducant inde, et auertant, ut falsa inueniamus pro veris, pro certis amplectamur incerta. Qua quidem diligentia et prouidentia scimus maxime opus esse in parte Grammatices illa, quam Criticem appellamus. Haec enim quum fere tota nitatur coniecturarum adminiculis, quum versetur in rebus iis, quas ab incredibili inconstantia, ab multiplici leuitate, ingenii, animique, humani profectus nouimus: nullas in ea condi et dari leges posse, ad

(B) 3 qua-

quarum normam tuto dirigatur, et recte, inuestigatio veri atque iudicium hoc in genere semper, quis est, qui non intellegat? Et tamen videmus repertos esse omni tempore Criticorum non paucos, qui auderent praecepta catholica et vniuersalia tradere; quo quidem in numero scimus etiam hoc esse, quod de duabus vnius loci lectionibus, de verbis duobus, optare nos iubet, atque elegere, verbum illud, quod rarius sit, et elegantius, et exquisitius, quod vi gaudeat et potestate quadam recondita, et quasi occlusa, neque adeo aperta, et prompta.

II. Neque profecto dubitari vlllo modo posse videmus, ac fatemur, quin lex ista multas veritatis notas, argumenta multa, impressa sibi ostendet. Quis enim ignorat, operosa hominum et temeraria inscitia quam proclius sit omni in genere, quam propensa, in hanc partem, vt rara, et noua, et elegantia, attingat, eaque mutare communibus, et vſitatis, et cotidianis, audeat? Neque vero praeterire quenquam, harum litterarum studiosum, potest, ingentem locorum, et verborum, copiam in veterum auctorum vtriusque linguae libris, quam, vel librariorum turpis inscitia, vel nimia Criticorum quorundam superioris memoriae diligentia et seueritas, contaminasset atque vulnerasset, sanatam esse felicissime, pristinaeque integritati rectissime redditam, illius obseruationis ope et admonitu, ab multis aetatis nostrae Criticis: et cui tandem obscurum sit, atque dubium, quin maior etiam restet in monumentis Graeciae, Romaeque, antiquae eiusmodi locorum multitudo, qui idem auxilium, eandem opem, Criticorum, illius ipsius legis auctoritate, expectent? Nos quidem non mediocrem in Aduersariis nostris numerum huius generis exemplorum congestum habemus: sed quia constituimus, vt superiore, ita hoc quoque, libello Palaephati tantum Fabulas illustrare et persequi, disciplinae in primis nostrae alumnorum causa: harum nunc vulneribus mederi quibusdam, adhibito eiusdem illius regulae auxilio, conabimur.

III. Eo enim, quo Phinei, Paeoniae regis, fabulam complexa est, explicauitque, doctrina Palaephati, Capite ¹ haec leguntur verba, ἰσορῆσι περὶ Φινέως, ὡς διέφθισον αἱ Ἀρπυιαὶ τὸν βίον αὐτῆς· vt quidem edidit Dresigius, Arundeliani Oxoniensiumque Codicum auctoritate. At vero retinere debebat vir doctissimus, et tueri, scripturam libri Aldini ὡς διεφόρην, quae fide Constantinopolitani Codicis confirmatur, et genuina haud dubie lectio est, quum διαφορῆν elegantius omnino sit, exquisitiusque, verbum, quam vt videri possit Grammaticorum ingeniis, manibusve librariorum rudibus, deberi. Et si enim verbum illud primo quidem, et proprie, de iis vsurpatum constat, qui differunt aliquid ita, vt apud Caesarem ² ventus legitur distulisse ignem, hoc est, in diuersas partes ferunt, trahunt, rapiunt, et in membra quasi discerpunt ³, adeo, vt nihil discreparet ab verbo διασκορπίζεν, quo Hesychius istud explicat ⁴: consuetudo tamen, domina linguarum, eo non tantum de iis vsa reperitur, qui rem aliquam diuulgant ⁵,

(B) 4 fed

1. Fab. 23, 1.

2. B. C. 2, 14. 2. Cui quidem loco simillimus est locus Pausaniae 8, 27. p. 657. Kuhn. κατέλυσε τε γὰρ [ὁ ἄνεμος] τὸ μηχανήμα τῆς Ἀγίδας, καὶ διεφόρησεν ἐς ἀπώλειαν παντελῆ, βιαιῶ τῷ πνεύματι ὁμῶς καὶ συνεχῶς. add. Vell. Pat. 2, 79. 3. ibique Burmanus.

3. De canibus Aetaeonis rabidis legitur ap. Pausan. 9, 2. p. 714. Kuhn. μανέντες δὲ, καὶ ἐξαγιγνώσκοντες, διαφορῆσειν ἐμῆλον πάντα τινα, ὅπως περιτύχοιεν. Herodo. 7, 10. 8. Μαρδόνιον — ὑπὸ κυνῶν τε καὶ ὀρνίθων διαφορεύμενον. Pausan. 2, 34. p. 192. ἀλλὰ περιφθῆναι τὸν νεκρὸν φασι διαφορηθέντα ὑπὸ τῶν

ἐν θαλάσσης ὀρνίθων. Laërt.

1, 114. ἐπεὶ καὶ τοῖς ὀδῶσιν αὐτὰ [τὸ χωρίον] διαφορῆσαι.

4. Hesychius: Διεφόρησαν· διασκορπίσαν. Phauorinus: Διεφόρησαν· μετεκόμισαν, διασκορπίσαν· prius glossema e Suidae Glossario sumtum est.

5. Hom. Odyss. τ'. 333. f. Τῆ μὲν τε κλέος εὐρὺ διαξέεινοι φορέεσι Πάντας ἐπ' ἀνδρώπας· vbi Eustathius p. 1866. Rom. Διαφορέεσι· ἀντιτὲ τῆ διαφέρεσι, διακομίζεσι πανταχῶς. Pseudodidymus: Διαφορέεσι· διαδιδόασι, διαφημίζοντα. Sic de fama ipsa verbum differre legitur apud Sueton. Caes. 33. promissumque ius annulorum, cum millibus quadringenis, fama distulit.

fed etiam de his, qui aliquid diripiunt ⁶, ita, vt scriptores veteres ipsi ⁷ διαφορεῖν, et διαρεπάζειν, vt verba idem significantia, posuerint. Quae quidem verbi potestas quum paulo rarior sit, neque adeo omnibus satis nota ⁸: extiterunt Critici superiorum temporum multi, vt Vuolfius, et alii, qui pro verbo διαφορεῖν, in libris veterum, verbum διαφείρεν reponendum censerent: quo ipso verbo, nescio an altera quoque eius forma διαφθόρεν, Grammatici antiqui illud explanasse videntur, vel inter versus paginarum, vel in marginibus librorum. Quae interpretamenta quum ab imperitis librariis fere substituta fuerint pro verbo germano: neminem speramus futurum, qui, non solum intellegat facile, quomodo in alios Codices Palaephathi irrepserit διεφθόρεν, in alios διεφθέρων venerit, sed videat etiam atque fateatur, διεφθόρεν genuinam esse loco Mythici illo, neque suppositiciam, scripturam; praesertim quum verbum διαφορεῖν naturae et rapacitati Harpyiarum longe accommodatissimum videatur. Sed aequae facile credimus posse doceri, primo et tricesimo Capite Palaephathi *); quo sententia Fabulae Phrixi atque Helles explicatur, Aldinam lectionem, ἣν δὲ αὐτῶ ἀνὴρ ἐπιτροπος τῶν χρημάτων, non debuisse ab eodem Dresigio reiici, et commutari scriptura Codicum Oxoniensium, aliorumque, ἐπιτροπος τῶν πραγμάτων. Etenim, cum ipsa origine vocabuli χρηματα, tum multo etiam magis vsu loquendi veterum, admonemur, nomen illud vi sua complecti omnino eas res omnes, quarum vsus pateat hominibus, et necessarius sit, ad vitam bene commodeque agendam, *res, quibus utantur homines*, vt ab Cicerone ⁹ vocantur, vno verbo *bona, opes, facultates*.

6. Gloss. vett. Διαφορέω Prodigio, is, dissipatio, dilapidatio.

7. Vid. Herodo. 1, 88.

8. Vid. Tailorus ad Demosthen. παραπροσβ. p. 226. To. 2.: Vuesselingius ad Diod. S. p. 590. 617. To. 1.

et ad Herodo. 1, 88.: Albertius ad Hesych. p. 1463. To. 1.: Marclandus ad Max. Tyr. p. 664. f.

*) f. 8.

9. Off. 2, 1.

facultates, diuitias ¹⁰: sed in facultatibus et opibus quum pecuniae in primis, pecudum item, et supellectilis, vt profanae et domesticae, ita sacrae templorum, etiam pascuorum, et agrorum, vsu carere homines nunquam vlllo modo possint: non ignoramus, vocabulo *χρήματα* insignitas esse a probis diligentibusque scriptoribus, nunc *pecudes* ¹¹, nunc *pecuniam* ¹², alias domesticam *supellectilem*, alias *sacra* templorum *vasa* ¹³, etiam *pascua*, et *agros* ¹⁴. Quos quidem verbi significatus vt multi auctorum veterum interpretes, maximeque ii, qui Graecos libros Latine conuertunt, saepe non assequeuti reperiuntur: ita scimus fuisse non paucos, vt Leoclauium ¹⁵, et alios, qui locis iis, quibus *χρήματα* accipi viderent debere de *rebus* et *negotiis*, respondendum *πράγματα* arbitrarentur: quum tamen certissimum sit, *χρήματα* non vno classicorum librorum loco ¹⁶ idem valere, quod *πράγματα*, et notionis istius vestigia superesse, cum in verbo *χρηματίζεν*, quod de iis vsurpatur non raro, qui agunt de negotiis, de rebus seriis, inter se ¹⁷, tum in formulis illis, in quibus nomen *χρήμα* ita iungitur aliis nominibus, vt existat quidam loquendi circuitus ¹⁸.

(B) 5

Quae

10. Hesychius: *Χρήματα* οἷς τις δύναται χρῆσθαι, κτήματα. add. Apollon. Soph. Lex. Hom. h. v. p. 862. et Suidas v. *χρημάτων*. v. Herodo. 9, 80. Xen. Cyrop. 3, 1. 7. 4, 2. 12. extr. 7, 5. 26. init. 8, 2. 1.: vbi est synonym. τὰ ἀγαθὰ. 8, 3. 16. 17. 19.

11. Hesychius: *Χρήματα* — βουκλήματα. vid. Xen. Cyrop. 1, 4. 19. f. coll. f. 17.

12. V. Xen. Cyrop. 1, 5. 3. 2, 4. 8. Aristoph. Plut. 269.

13. V. Graenius ad Hesiod. *Ἔργ.* 407.: Abreschius dilucid. Thucydd. p. 677.: Vues-

selingius ad Diod. S. p. 628. To. 1.

14. V. Xen. Cyrop. 3, 2. 3.: vbi *χωρὰ ἢ τὰ χρήματα ἔχουσα* est *regio agris et pascuis laeta*, h. e. *ferax, fertilis, ἀγαθή*.

15. ad Xen. Cyrop. 5, 2. 15. p. 1038. Paris.

16. V. Plato Phaedon. 17. Herodo. 7, 145.: vbi v. omnino Vuesfelingius p. 570. et Hutchinsonius ad Xen. Cyrop. 5, 2. 15.

17. V. Theophrastus Charr. 7, 2.

18. Eurip. Phoen. 206. *χρήμα*

Quae quum ita sint, quis dubitet, quin lectio τῶν πραγμάτων loco illo Palaephati glossetna sit et interpretamentum, sed altera lectio τῶν χρημάτων ab ipsa Palaephati manu profecta? praesertim quum veteres quoque Grammatici inueniantur vocabulum χρημα explicasse vocabulo πράγμα, non contra ¹⁹. Atque sic longe pluribus Fabularum illarum locis pristinam scimus integritatem restitui, et posse, et debere, ex antiquis Codicibus, quorum copiis et opibus non parum miramur, neque Galeum satis diligenter usum esse, neque reliquos Palaephati editores, in recognoscendo, recensendoque, textu libelli sane haud inutilis Graeco. qua de re alius dabitur, spero, locus, aliud tempus, dicendi.

III. Sed quemadmodum medicamenta etiam optima et maxime salutaria, si eorum indoles atque compositio non accommodata est ingenio corporis affecti et aegri, valetudinem, non modo non reuocant ac restituumt, sed magis etiam perdunt et affligunt: ita legis illius atque regulae, qua de supra diximus, etsi magna est lateque patens utilitas, tamen dubitari non potest, quin, nisi caute ac diligenter adhibeatur, non modo non emendentur et sanentur, eius ope, vulnera librorum veterum, sed ampliuntur etiam saepe atque exasperentur magis. Et profecto magna cautione opus est, magna diligentia, hoc in genere ²⁰. Nam
primo

χρημα θηλειῶν, h.e. mulieres: ubi v. Valquenar. Herodo. 7, 188. τὸ χειμῶνος χρημα ἀφόρητον, vt Anton. Liber. 22. p. 144. Verh. ἐξ αἰσίων τι καὶ ἀπίστον χρημα χειμῶνος. Sic σφενδονητῶν χρημα, h.e. funditores, apud Xen. Cyrop. 2, 1. 2. Conf. Ritterhusius ad Oppian. p. 176.

19. Hesychius: Χρημα· πρᾶγμα. Pollux 9, 87. τὸ δὲ χρημα μὲν αὐτοῖς [Atticis]

ἐπὶ τῷ πράγματι. add. Suidas v. χρημα, et Portus ad Xen. Cyrop. 5, 2. 15. p. 1165. f. Paris. Sic Lucian. p. 314. To. 1. Graeu. τὸ θανάτου — ἀνεράσει τοῖς πόλεσι χρηματος. Conf. Koenius ad Gregor. de dialectis p. 150.

20. Ric. Bentleius ad Cic. Tusc. 3, 6.: Ex Codicibus scriptis, alii naturabile habent, alii naturale. Tu cum Gebhardo illud amplecteris, quia librarii

primo, ut omnes res humanae, omnia etiam facta nostra, morti debentur, ut ait praeclare poëta, ita linguarum in primis, vocabulorumque, honorem, nunc stare et vigere laetamur, nunc interire et cadere dolemus: multa verba, multi multorum verborum significatus, modo vulgares fuisse reperiuntur et communes, modo singulares et exquisiti. Quo quidem facile fieri posse apparet, ut multa nunc verba, multae eorum notiones, videantur ponanturque rae et reconditae, quae tamen fuerint quondam notae omnibus, et in medio positae, atque contra ²¹. Neminem igitur

brarii vocabula trita pro reconditis supponere solent, non vice versa. Recte quidem: et hoc plerumque ita se habet. Sed ex generalibus illis artis, nescio cuius, Criticae regulis non est de singulis locis sententia ferenda.

21. Sic ap. Aristoph. Plut. 1038. legitur ὁ δακτύλιος quod nomen schol. Doruil. explicauit nomine ὁ γυρός ubi Hemsterhusius p. 376, *Vetus verbum, inquit, et paeae obsoletum, Graeci recentiores, sicuti non raro solent, in usum communem reuocarunt. Ab iis itaque γυρός, non pro circulo tantum —, sed etiam pro anulo ponitur. Idem Hemsterhusius ad Tho. M. p. 27.: Hunc in modum possessione deiectum ἡ πῶ ῥῆμα τὸ ῥάπτω, ut in Gl. MS. legitur, quasi delituit, donec tandem, quod et multis aliis accidisse vocibus apertum est, in usum communem reuocaretur, et quamuis ab Atticistis diu exclusum, ius pristinum obtine-*

ret. Quare apud aevi recentioris scriptores, et Grammaticos, praesertim quum ἀκείσθαι, ἀκείης etc. exponunt, frequentatur. Valquenarius ad Eurip. Phoen. p. 471.: Rarius apud veteres obuium ψαίρειν, aeuo videtur recentiori renatum, aut e veteri lingua custoditum usu quotidiano. Pierfonius ad Moer. p. 329.: Quum autem πλυνεὺς apud retentiores Atticos cecidisset, quibus vocabulum κναφεύς in honore fuit: dein apud vulgum Graecorum veluti renatum est. Recentiores autem Graecos voces antiquatas in usum reuocasse, exemplo esse potest verbum ἀφροντισεῖν, quo, et veteres Attici, et recentiores Grammatici, delectati sunt. Sic ἔπαθλα fuit nomen olim rarius, Euripidi scilicet proprium: v. schol. vetus ad Phoen. 52.: ἄθλα nunc est nomen notius: et tamen ἄθλα in Hesychii Glossario explicatum legitur nomine ἔπαθλα. Ἀνάλωμα quid sit, omnes

tur inueniri credimus, qui non videat sponte, et libenter concedat, qui lege illa de optanda, atque elegenda, e duabus lectionibus rariore, et elegantiore, vti recte, et sine periculo, velint, eos oportere diligenter quaerere, an verba, an formulae pro aliis substituendae, fuerint huius, illiusve, scriptoris aetate, in hoc, illoue, orationis genere, exquisitae minimeque vulgares; id quod lectio, et contentio, scriptorum aequalium docere quemque facile poterit; vt, si secus esse cognouerint, manus ab emendando abstineant, et intacta omnia relinquant. Apud Palaephatum quidem, in Phinei Fabula ²², Aldus, et post eum alii, ediderunt ἐξήλασαν ἐκ τῆς πόλεως. sed quum in Constantinopolitano, Oxoniensibusque, Codicibus scriptum extiterit, auctoribus Brunero, et Galeo, ἐξεδίωξαν ἐκ τῆς πόλεως. non dubito, quin futuri sint non pauci, qui, Codicum istorum auctoritate, ἐξεδίωξαν, verbum rarius et ignotius, recipiendum esse pro ἐξήλασαν, verbo vulgari satisque noto, contendant. Iam vero non is ego sum, qui negem, reperiri multos hodie, qui ignorent, simplex verbum διώκειν proprie *agere, pellere* ²³, significasse, atque adeo verbis compositis ἐκδιώκειν, et ἀποδιώκειν, notionem *abigendi, et exigendi*, subiectam fuisse, ita, vt ἐξήλασαν, illo Palaephati loco, ex interpretatione verbi ἐξεδίωξαν extitisse videri posset. At iidem nos non nescimus, immo vsu lectionis scriptorum veterum cognouimus, verbum ἐκδιώκειν non minus, quam

omnes sciunt hodie, paucissimi, ἐξοδον significare *sumtum, expensum*. Hesychius vero hoc posteriore vocabulo interpretatus est illud prius, vt schol. Doruil. Aristoph. ad Plut. 381. Participium ἀναλώσας Participio ἐξοδιάσας. v. Prolus. 7. de vitiis Lexicorum N. T. p. 8. f. Et pro πολλάκις ap. Xen. Cyrop. 1, 2. 4.

Zonaras Chron. p. 104. To. 1. Vuolf. vsus est Aduerbio συχνάκις.

22. Fab. 23, 4.

23. V. Arnaldus Animadvers. p. 37. f. Legitur sic iam ap. Homer. Il. 9, 438. f. et Odyf. σ', 408., ita tamen, vt loco posteriore habeat vim verborum compositorum ἀποδιώκειν, et ἐκδιώκειν.

quam ἀποδιώκειν, ab auctoribus Graecis recentiorum in primis temporum, ut ab interpretibus librorum diuinorum Alexandrinis, et aliis ²⁴, sensu illo adeo frequentata esse, ut Hesychius, scholiastes Aristophanis Doruillianus, etiam Pseudomusaei interpres, aliique Grammatici, verba ἐξελαύνειν ²⁵, ἀπελαύνειν ²⁶, ἐκβάλλειν ²⁷, ἀπονοσφίζειν ²⁸, ἐκκινεῖν ²⁹, ἀποσοβεῖν ³⁰, explicasse reperiantur verbis διώκειν, ἀποδιώκειν, et ἐκδιώκειν, ut notioribus et vltatioribus ³¹. Quis igitur erit, qui non fateatur, rationi magis et doctrinae, quam legi illi atque regulae, obtemperandum, neque verbum ἐξήλασαν apud Palaephatum loco mouendum vlllo modo, esse?

V. Sed

24. Deut. 6, 19. Ioël. 2, 20. Dan. 4, 29. Theodot. Dan. 4, 22. 29. 30. Matth. 23, 34. Luc. 11, 49. Pausan. 8, 22. p. 640. extr. Aesop. fab. 227. p. 154. fab. 238. p. 160. Zosim. 4, 16. 9.

25. Schol. Aeschyl. ad Prometh. p. 42. Steph. Ἐξήλασεν μὲν — δωμαίων· ἐξεδίωξέ μιν ἀπὸ τῶν οἰκῶν. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Ἐξελάτεις· ἐκδιωκτές.

26. Hesychius: Ἀπεληλαμένοι· διωχθέντες. Schol. vet. Eurip. ad Phoen. 382. Ἀπελαθείς· διωχθείς. Hesychius: Ἀπελασία· διωγμός.

27. Schol. Sophoclis ad Electr. 591. Ἐκβαλλῶσ' ἔχεις· — ἐδίωξας. Schol. Doruill. Aristoph. ad Plut. 430. Ἐκβαλεῖν ἀποδιώξαι· et ad v. 463. Ἐκβαλόντες· ἀποδιώξαντες. Et ap. Apollodor. 2, 5. 6. ἐκδιώξαι, et ἐκβαλεῖν, sunt verba idem valentia.

28. Schol. Pseudomusaei ad v. 98. Ἀπενόσφισεν· ἀπεδίωξεν.

29. Schol. Sophoclis ad Electr. 568. Ἐξεκίνησεν· ἐξεδίωξεν.

30. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Ἀποσοβεῖ· ἀπελαύνει, ἀποδιώκει. Suidas: Ἀποσοβεῖ· ἀποδιώκει.

31. Sic ap. Aristoph. Plut. 450. legitur θώραξ, verbum vulgare et notum: sed ab Scholiasta Doruilliano explicatum est, ut ab Hesychio, nomine ὄπλον, quod est loricae vocabulum rarum et ignotum. id quod etiam Hemsterhusius animaduertit. Neque enim, probabile est, scholiasten admonere lectores voluisse illo vocabulo, θώρακα accipiendum esse, non de pectore, verum de genere quodam armorum, quo muniretur pectus, quum oratio poetæ ipsa vetet etiam de ipso pectore cogitare.

V. Sed obseruauimus alias quoque res, quae nos in primis diligentes esse, atque cautos, in adhibenda illa regula iubeant. Namque scriptores non pauci, vel naturae auctoritate, vel aurium iudicio, cuius rationem diligenter habendam esse in emendandis veterum auctorum libris antiquissimi iam Critici ³² rectissime praecepere, aliarumue eiusmodi caussarum grauitate, adducti, si non semper, at saltem nonnunquam, verba recondita et propria, formulas raras, studiosissime fugerunt, sed vulgaria et communia verba, in medio positas formulas, confectati sunt cupidissime. Quis enim natua nescit, et propinqua, et cotidiana, saepe magis placere multis hominibus, vehementiusque probari, quam adscita, et longinqua, et exquisita? Sed Grammatici, qui gratam istam, liberalemque, scriptorum negligentiam corrigere videlicet illiberali sua, molestaque, diligentia vellent, adscribere, vel inter versus paginarum, vel in marginibus librorum, verba lectiora, atque elegantiora, instituerunt. Cuius quidem corrumpendi, contaminandique, libros veterum rationis vestigia monstrare satis videtur Codex Vossianus Curtii primus, in quo alicubi ³³ inter versus super *repurgabat*, verbum commune, scriptum legebatur *farisbat*, verbum proprium. Neque vero dubitandum putq., quin verbum *pererro*, quod in Codicibus nonnullis Virgilii ³⁴ pro verbo *peragro* legitur, eidem huic Grammaticorum veterum sedulitati originem debeat. Tales enim libros quum descripserint fere homines imperiti, rhapsodorumque similes: quin facile fieri potuerit, et vero factum sit saepenumero, vt verba ista suppositicia, et aliena, pro genuinis, propriisque, migrarent in contexta, quis dubitet? Atque sic mihi extitisse videtur iam in antiquis Codicibus nonnullis Phoenissarum Euripidis ³⁵ *Μέσας* pro *αἰνυμαι*, ita, vt mirer non parum, scholiasten Augustinum

32. V. Gellius N. A. 1, 7.
extr. 13, 20.

33. 4, 1. 21.

34. Aen. 1, 384. 4, 72.

35. v. 50.

num lectionem *Μῆσας* alteri praetulisse ³⁶. Etsi enim non ignoramus, *Μῆσαν* a poetis etiam Graecis nonnunquam poni de *carmine*, atque adeo de *aenigmatibus*, versiculis incluso ³⁷: tamen Oedipum nouimus unum aenigma, quod Sphinx proposuisset ³⁸, non plura, soluisse: sed Grammaticos, qui legissent, Sphinga accepisse aenigmata ab Musis ³⁹, scirentque, aenigmata eleganter vocari *Μῆσας*, ad vocabulum *αἰνίγμα* adscripsisse, ut notarent scilicet negligentiam poetae, quis est, cui non videatur veri esse simile? Sed interdum verba illa rariora sumta erant ab Grammaticis, non ex ingenio, verum ex locis eorundem scriptorum similibus. Ita in Aeneide Virgilii alicubi ⁴⁰ pro *magnocum murmure* in duobus Codicibus scriptum est *vasfo cum murmure*, ut *vasfo* videri possit ab ipso poeta profectum. At venit haud dubie illuc eo, quo diximus, modo, ex alio eiusdem Carminis loco ⁴¹, ut Burmanus, vir summus, praeclare vidit. Mihi certe quidem sic in Codice Cyropaediae Xenophontae Guelferbyitano verbum *κατακαίειν* pro verbo *ἀποκτείνειν* substitutum nonnullis in locis *) esse videtur. Deinde cognouimus, formas verborum rariores temere multis in locis librariorum, vel negligentia, vel incititia, e notis, et scripturae compendiis, natas esse. *Interitio* quidem veteres, ut Cicero, et alii, raro dixisse reperiuntur, sed *internicio* ab omnibus crebro usurpatum scimus: et tamen loco quodam Orationis Ciceronis, quae est de imperio Cn. Pompeii ⁴², *Gallorum internicione* veram lectionem

36. Schol. August. *Αἰνίγμ' ἐμός παῖς· τινὲς γράφουσι, Μῆσας ἐμός παῖς· ὃ καὶ βέλτιον.*

37. Hesychius: *Μῆσαι· ἐρωτικά καὶ ᾄδαί· οἱ δὲ αἰνίγματα, καὶ τέχναι·* et Aeschylus Eumenn. 308. *Μῆσαν εν-γερὰν* vocat *triste carmen*:

quem locum iam ab Valquernario laudatum esse video.

38. Vid. Phoen. 48. et Apollod. 3. p. 183. Fab.

39. Apollod. d. I. *μαθήσα δὲ αἰνίγματα παρὰ Μουσῶν.*

40. I, 55.

41. I, 245.

*) 3, 3. 29. 4, I. 6.

42. pro L. Manil. II.

nem esse, non *Gallorum interitione*, quod erat in Fabriciano, aliisque, Codicibus, secus ac Lambinus existimabat, vel ex eo apparet, quod, recepto vocabulo *interitione*, tota oratio omnes quasi nervos, vires omnes, amitteret, vehementerque langueret: etsi non ignoramus, *centurionum interitio*, *aratorum interitio*, ita legi apud Ciceronem ⁴³, et Hirtium ⁴⁴, si quidem ille est Commentariorum de bello Hispaniensi auctor, ut de scripturae integritate dubitari non possit, quum sua quoque orationi vis et elegantia constet. Scilicet in libris antiquis Ciceronis scriptum erat *interitions*, pro *internitions*, quod Codex Erfurtensis exhibebat: sed librarii, quorum negligentes atque rudes oculos lineola illa litterae *i* superposita fugeret, scripsere *interitione*. Denique ab ipsis saepe librariis proficisci intellego, atque scio, verba rariora potuisse. Etenim isti homines quum descripsissent locum aliquem antiqui scriptoris, in quo iuncta extarent duo verba, reconditum alterum, alterum vulgare, sed non ita multo post, recentes a loco illo, describere instituissent locum alium, in quo alterutrum verbum legeretur, in quo vulgare vocabulum comitem haberet verbum aequè vulgare: huius loco, facile fieri potuisse, ut ponerent reconditum illud, quod iunctum recordarentur vulgari isti verbo esse ab aliis scriptoribus, aut ab eodem adeo auctore aliis in locis, quis non videt? Ab nostris quidem librariis, qui vulgo typothetae vocantur, id saepissime fieri, cognovimus tum, quum Cornelii Nepotis Vitas Imperatorum recognoscebamus: neque dubito, quin lectores veterum Codicum diligentes, Criticaeque artis studiosi, in iis reperturi sint non pauca huius generis exempla; praesertim quum etiam Grammatici intellegantur eadem in re inepte seduli esse potuisse.

VI. His igitur, et haud scio an aliis quoque, cancellis quum circumscriptam esse appareat legem illam, et observationem, qua de duabus lectionibus, de duobus verbis, optare iubemur, et elegere, verbum elegantius, lectionem rario-

43. Ver. 3, 54.

44. B. Hisp. 24, 6.

rariorem: profecto magna nos oportet cautione, magna diligentia, versari in constituendis eiusmodi scriptorum veterum locis, et videre, ne imitemur praecipitem temeritatem Criticorum quorundam nostrae superiorisque aetatis, qui, quum eandem illam regulam, et legem, certissimam, nullisque adstrictam vinculis, putarent, verba rariora repone omnibus in locis ausi sunt pro vulgaribus, saepe contra omnium librorum veterum auctoritatem ac fidem. Atque horum quidem Criticorum numeros auxisse nuper Ioh. Pierfonius videtur, qui in animaduersionibus ad Moerin Atticistam, pro doctrinae suae copia et vbertate, vt aliorum sermonis Graeci auctorum locos multos emendare, ita de Palaephati quoque Fabulis bene mereri, conatus est. Quam ingenii virtutem quo maiorem, quo rariorem, esse videmus, eo plaris faciendam, eo vehementius laudandam, non in-viti profitemur: sed eosdem nos usus docuit diuturnus, eas etiam coniecturas, quae Criticis non vnus ciuitatis, non vnus aetatis, elegantissimae visae essent et certissimae, tandem, patefactis, expositisque, linguarum veterum diuitijs, cognito, indagatoque, vsu loquendi scriptoris cuiusque, adhibita interpretandi diligentia et patientia, fere vanas, abs-sonas, neque vilo modo necessarias, deprehensas esse. Atque huius quidem notae arbitramur Pierfonii esse coniecturam, qua ductus vir eruditissimus apud Palaephatum eo Fabulae de Centauris ⁴⁵ loco, vbi, et natura equi, et cibus, a cibo, naturaque, hominis prorsus discrepare dicuntur, pro *ἔτε ἡ τροφή ὁμοία* legendum *ἔτε ἡ φρεσὶν ὁμοία* censuit ⁴⁶. Quia enim in libris Apostolii, qui hac quoque Fabula Corpus Paroemiarum ditauit ⁴⁷, pro *τροφή* extare viderat *μορεφή*, quod commodo ibi sensu careret; quia sciebat, non modo litteras *μ* et *β* et *φ* ab librariis saepissime commutatas esse inter se, sed sonum vocabuli vtriusque pae-ne similem facillime gignere *μορεφή* pro *φρεσὶν* potuisse; quia

45. Fab. I, 2.

47. II, 33.

46. ad Moerin Attic. p. 96. f.

quia non ignorabat, *φορβή* esse verbum hoc in genere proprium, et lectum, sed *τροφή* vocabulum vulgare atque commune⁴⁸; cuius generis verba fere substituta essent in locum alterius generis vocabulorum; quia cognouerat, Criticæ artis magistros iubere e duabus lectionibus elegantiorē, rarioremque, elegi: credidisse videtur, nullo modo posse dubitari, quin pro *τροφή* apud Palaephatum reponi *φορβή* deberet. At primo nobis *μορφή* aequē facile nasci potuisse videbatur e *τροφή*, quam e *φορβή*, adeo, vt nondum expeditum esset, quod tamen expediri ante, atque extra omnem dubitationem poni, debuisset, duas fuisse in libris Palaephati antiquis lectiones, in aliis *φορβή*, *τροφή* in aliis. Deinde etiamsi certissimum esset, ac verissimum, duplicem in Codicibus vetustis extitisse loci scripturam: tamen doceri plane posse speramus, vocabulum *τροφή* manu ipsius Palaephati deberi, nomen *φορβή* esse aliunde profectum. Et enim *φορβή* in primis quidem de cibo, pabuloque, equorum dictum esse, praeter auctoritates scriptorum⁴⁹, Grammaticorumque⁵⁰, veterum, satis declarant verba *ἵπποφορβός*⁵¹, *πολύφορβος*, *φορβάς*, et alia, vel ducta inde et inclinata, vel etiam composita. Neque tamen nescio, hoc ipsum vocabulum, ab poetis maxime, de cibo omnium aliarum animantium ratione carentium, vt boum⁵², asinorum⁵³, suum, reliquarumque⁵⁴, usurpatum esse, translatum tandem ad ipsorum hominum cibum. Certe hoc,

non

48. Hesychius: *Φορβή* — *τροφή*. — Suidas v. *ἵπποφορβός*: *Φορβή γὰρ ἡ τροφή*.

49. Hom. II. ε, 202.

50. V. Eustath. ad II. ε, 202. p. 539. Rom. *Διὸ καὶ Φορβάδες ἵπποι κοινότερον ἀπ' αὐτῶν καὶ Φορβή ἢ τέτων τροφή*.

51. Plato Politic. 5.

52. Ap. Plat. Politic. 5. II. est *βεφορβός*. Dionys. Perieg. 1044. *Φέρβασι βοῶν γένος*.

53. Herodo. 6, 68. 69. habet *ὄνοφορβός*.

54. Eustath. ad II. λ', 561. p. 862. extr. Rom. *Φορβήν δὲ τὴν τῶν ἀλόγων λέγει τροφήν* —: quae verba in Lexicon suum transtulit Phauorinus: sed in exemplo Basileensi perperam legitur *λόγων* pro *ἀλόγων*. Sic *φορβάδες* dicuntur equae, boues, capellae, sues. v. Arnaldus Lectt. Gr. p. 131. f.

non quidem e notatione et etymologia verbi *Φέρβειν*, quae ab antiquis Grammaticis ⁵⁵ affertur, satis inepta, collegi posse putamus, sed ex eo tamen, quod meretriculas ab Comicis veteribus dictas esse reperimus *Φορβάδας*, et *γυναικας Φορβάδας* ⁵⁶. Nam e loco Apollonii Rhodii ⁵⁷, qui laudatur a multis eam in rem, nullo modo effici id, quod volunt, posse arbitramur. Loquitur enim poëta ibi de Phineo, cui cibum Harpyiae rapuerint ex ore et manibus: qui eius cibus, quem Palaephatus *δείπνον* vocat, ab Apollonio *Φορβή* appellatur, non ratione ipsius Phinei, verum ratione Harpyiarum scilicet; quae fuisse feruntur monstra avium, quarum de cibo supra significauimus in aliorum quoque poëtarum carminibus vocabulum *Φορβή* vsurpatum extare. Cæterum ex hactenus dictis speramus satis intellegi, *Φορβή* esse verbum poëticum maxime, sed ab ipsis poëtis non, nisi ioci risusque captandi caussa, de hominum cibo positum: de quo idem illud vocabulum in Musis Herodoti scimus legi loco non vno ⁵⁸. At vero quum Palaephatus, neque verbis poëticis, et priscis, vllis vsus reperiatur, neque sensu vocabula poëtica, et recondito, vsquam vsurpasse; quum res ipsa, non tam loqui, quam clamare, videatur, requiri vocabulum, quod sit cibo, et equorum, et hominum, commune, et *τροφή* in ipsis Palaephati Fabulis ⁵⁹ de cibo bestiarum legatur: sane dubitandum non putamus, quin valde miraturi sint omnes, Pierfonium ausum esse verba illa

(C) 2

Palaephatus

55. Eustath. ad Il. l, 564. ΠολυΦόρβην δὲ γῆν ταύτην εἶπεν, καὶ πολυβότειραν ὁμοίον δὲ τι λαλεῖ καὶ ὁ Φορβάδα γῆν εἰπὼν, ἧς προὔποκειται τὸ Φέρβειν, ὃ ἐστὶ Φέρειν τὸ βιβν, ἢ Φέρειν βίον, ὡς εἶναι Φορβάδα γῆν, τὴν Φερέσβιον καὶ ζείδωρον. Aequae inepte Etymol. M. Φορβή ἢ τροφή· παρὰ τὸ βῶ τὸ τρέφω, βορβή καὶ Φορβή.

56. Vid. Pollux 7, 203.: Eustath. ad Il. ε, 202. p. 539. Rom. et ad Il. π' p. 1088, 34., vbi e Phoenice Sophoclis laudat verba Φορβάς γυνή. Suidas v. Φορβάδων.

57. 2, 189. f. — ἐλείπετο δ' ἄλλοτε Φορβῆς Οὐδ' ὅσον —.

58. 1, 202. 211. coll. c. 207. extr. 4, 121. 7, 50. 2. 107.

59. Fab. 29, 3.

Palaephathi tangere, et in locum vulgaris vocabuli verbum rarius substituere. Neque vero rectius opinor ab Tollio, ad normam eiusdem legis Criticae, emendatum esse illum locum eiusdem libelli ⁶⁰, vbi Sphingis monstrum sedisse dicitur ἐπὶ Σφίγγις ὄρεσ· in quibus verbis Tollius Σφίγγις mutandum in Φικίς, aut certe in Φικίς, censebat. Quam quidem viri doctissimi coniecturam multis sane, et idoneis, argumentis adiuuari, confirmarique, posse intellego: ita, vt Valquenarius ⁶¹ scripturam illam non dubitavit substituere apud Palaephatham in locum formae alterius. Etenim primo Boeoti in sua lingua monstrum istud appellasse Φίκα reperiuntur ⁶², ita, vt Latini quoque *picatos* dixerint, Festo auctore, eos, quorum pedes formati essent in modum et speciem pedum Sphingis. Deinde idem ille mons ab Hēsiodo ⁶³, et aliis, nominatur diserte, et Φίκιον, et Φικέον ὄρεσ, vt monstrum Sphingis ipsum ab Lycophrone ⁶⁴ τέρας Φικέον nuncupatur. Denique Aldini libri scriptura σφικίς eodem quin ducat, quis dubitet, quum librarii, multis scriptorum veterum in locis, litteras φ, et σφ, permutauerint inter se, vt summus Albertius ⁶⁵ nuper, praeter alios, praeclare docuit? Sed in hac etiam sententiae Tollianae praesidiis, et multitudine, et firmitate, tamen arbitramur relinquendam esse Palaephato formam vocabuli montis vulgarem et communem. Neque enim Palaephatus videtur vti voluisse forma verbi Boeotica et propria,

60. Fab. 7, 2.

61. ad Eurip. Phoenn. p. 302.

62. Hesiod. Θεογ. 326.: vbi Schol. Φίκα τὴν Σφίγγα λέγει — Φίκα δὲ αὐτὴν οἱ Βοιωτοὶ ἔλεγον· quae verba descripsit Phauorinus v. Φίκα ὀλοήν. Hesychius: Φίκιον· πρὸς Θηβῶν· vbi v. interpp. p. 1506. To. 2. Festus: *Picati appellantur quidam, quorum pedes*

formati sunt in speciem Sphingum, quod eas Dorii Phicas vocant.

63. Ασπ. 32. V. omnino Graevius ad Hesiod. Θεογ. 326.: Valquenarius ad Eurip. Phoenn. d. 1.

64. v. 1465.

65. ad Hesych. p. 355. To. 1. et ad Gloss. N. T. p. 23. 190.

pria, sed communi et vulgari, quum monstrum ipsum vocauerit Σφίγγα, non Φίνα, ita, vt certe in nullo libro scripto vllum varietatis scripturae vestigium extet. Restituta autem forma vocabuli montis Boeotica, etiam formam nominis monstri propriam restitui debere, nemo, opinor, erit, qui negare sustineat: etsi non nescio, etiam in libris Apollodori editis ⁶⁶ monstrum Σφίγγα, montem Φίκεον ὄρος, nominari. Sed quum veri simile non sit, omnium librorum oculos, atque manus, omnibus in locis tam paruae et brevis Fabulae peccasse: fatis apparere credo, neque montis vocabuli communi forma offendi quenquam posse, ac debere.

VII. Caeterum quum ex haecenus disputatis abunde pateat, quibus cancellis, quibus terminis, coërceri oporteat legem illam Criticam de elegendis lectionibus exquisitis ac difficilioribus; quum videat quisque inde et intellegat, quanta cautione, quanta diligentia, opus sit in constituendis, emendandisque, ad illius normam librorum veterum locis: reliquum est, vt veniamus ad rem eam, cuius causa a nobis tota illa disputatio est suscepta. Nam quum sciamus, intellexerimusque, non sine magna voluptate nostra, vt multis aliis studiorum, institutorumque, nostrorum Fautoribus, ita vestrum quoque plerisque, Collegae coniunctissimi, vehementer placuisse et arrisisse rationem illam, qua pridie Kalendas Ianuarias superioris anni iussimus aliquem alumnorum disciplinae nostrae praedicare Latina Oratiuncula magnitudinem beneficiorum nobis, vniuersaeque Scholae, illo ipso anno diuinitus tributorum; quum deus, auctor omnium bonorum vnicus atque liberalissimus, precibus, quibus nos tum auxilium ab eo in hunc annum implorauimus, ita paruerit, vt etiam pluribus, maioribusque, spe nostra bonis cumulauerit adhuc magistros Scholae, et discipulos: hoc fauore vestro, sed multo etiam magis singulari illa dei erga nos pietate ac liberalitate, lacessiti et excitati, partes oratoris, et praeconis beneficiorum diuinorum,

(C) 3

rum,

66. 3. p. 183. Fab.

rum, dedimus hoc anno Adulescenti praeclarae indolis, optimaeque spei, *Beniamini Veisquio*, Rocolitiensi. Is enim cras hora V. vespertina in Auditorio classico verba faciet *de singulari incredibilique sapientiae diuinæ magnitudine, quam ex eo elucere videmus et intellegimus, quod deus homines voluit ignorare suorum quemque fatorum rationem et seriem*: et ut deo gratias maximas aget pro beneficiis hoc anno acceptis, ita curae eiusdem, et prouidentiae, diligentissime commendabit in annum futurum salutem, resque, totius Scholae, vitam et rationes Patronorum eius Curatorumque amplissimorum, magistrorum item, et discipulorum, omnium commoda. Quam quidem orationem humanissimi Adulescentis, atque preces quin praesentia vestra ornaturi, precibus vestris adiuturi, sitis sponte, Collegae optimi, eo minus dubito, quo vehementius vos laetari scio salute Scholae nostrae, salute Patronorum, salute Curatorum, eius; quo magis vos delectari gaudeo cupiditate doctrinae liberalis discipulorum, quam non ignoratis, et ali, et augeri, mirifice magistrorum fauore et studiis. Vos autem, Discipuli carissimi, ita intereritis orationi Conmilitonis vestri, ut virtutem eius, et modestiam, imitari, ut contendere cum eo posthac de principatu studii litterarum, doctrinaeque liberalis omnis, in primisque pietatis in deum sinceræ, constituatis. His enim virtutibus quum propositam ab ipso deo esse sciatis felicitatem omnis generis, summam: eo magis confidere potestis, cursum vitae vestrae, et studiorum, fore anno futuro prosperrimum, atque secundissimum. Quae quidem omnia ut deus ita euenire iubeat, vehementer opto. Scripsi in Schola Thomana a. d. III Kal. Ianuar. A. C. CIDCCCLXVIII

PRO

PROLVSIO TERTIA

Q V A

LOCI NONNVLLI

F A B B. P A L A E P H A T I

A B

INTERPRETIBVS LATINIS MALE
ACCEPTI EXPLICANTVR
ILLVSTRANTVR

Q. B. V

Operam eorum, atque industriam, qui libros Graecorum veterum, vt in linguas notiores alias, ita in Latinam quoque, et superioribus saeculis conuertere, et aetate nostra conuertunt, neutiquam vituperandam ab vilo, neque contemnendam, immo maximi etiam faciendam, ab cunctis, vehementerque laudandam, censemus. Nam profecto tantae opes, tantae copiae, tantae diuitiae, omnis sapientiae humanae in monumentis Graeciae antiquae reconditae seruantur, vt, qui eas depromtas inde, et congeſtas, possideat, is multo beator, opulentiorque, esse videatur, quam omnium aliarum opum humanarum vel potentissimus dominus. Etenim omnia, quaecunque valent et pertinent ad acuenda ingenia, ad mentes augendas, ad continendos animos, ad mores regundos, ad respublicas, earumque partes, constituendas, ad vitam denique omnem bene, commodeque, agendam, in libris Graecorum elegantissime, copiosissimeque, exposita et explicata reperiuntur. Quae quidem egregia bona etsi videri possint omnes bonarum litterarum studiosos inuitare, et excitare, debere, vt volumina Graeca diurna, nocturnaue, manu versent: tamen, quum plerique,

(C) 4

que,

que, vt Horatii saeculo poëtae Romani, auri auariiores sint, quam laudis: quum plerique malint diuitiis florere desides, et rudes, et negligentes, quam diligentes, et eruditi, et assidui, excellere nominis gloria; quum plerisque cognitio Graecarum litterarum videatur eum permultis, et permagnis, molestiis conjuncta; vix sperandum intellegitur, multos ipsa Graeciae monumenta adituros esse, atque visuros. Sed quum nemo facile adeo hebes reperiatur, quin videat sua sponte, qui velit aliquam liberalis doctrinae laudem consequi, eum carere Latinarum litterarum auxiliis nullo modo posse; quum nemo facile rationibus suis adeo inimicus videri velit, quin lectionem librorum copiis sapientiae barbarae plenissimorum praefereendam putet libellorum nugis vernaculis refertissimorum lectioni: nonne speremus, libros Graecos, Latine conuersos, libenter, et cupide, lectum iri ab multis eorum, qui sint ipsius sermonis Graeci plane expertes et rudes? nonne fateamur, operam huiusmodi interpretum librorum Graecorum esse longe vtilissimam, atque adeo plausu, et approbatione, omnium multo dignissimam? Cicero certe ipse, alique Romani, impertiere eadem opera ciuibus suis diuitias sapientiae Graecae ingentes, eoque beneficio sibi vniuersam ciuitatem suam deuinxere non parum.

II. Vtinam vero omnes Graecorum librorum interpretes Latini attulissent semper eandem vtriusque linguae scientiam! vtinam probassent omnes eandem in interpretando diligentiam, qua instructos accessisse ad eos conuertendos, quam probasse, admiramur veteres illos Romanos! Nullus enim liber Graecus reperietur facile Latine ita conuersus, quin occurrant multa, quae, vel perperam explicata sint, vel certe parum eleganter et perspicue reddita, adeo, vt ii bonarum litterarum studiosi, qui velint omnia accurate nosse, qui velint de veritate, vanitateue, eorum, quae ab scriptoribus Graecis traduntur, recte, et grauiter, iudicare, ipsos libros Graecos inspicere debeant, ne vitia forte, et peccata, interpretum ipsis scriptoribus, vt sit,tribuenda putent.

putent. Cuius quidem rei causas repetendas apparet, vel ab ipsa natura et ingenio linguae Graecae, cuius breuem, et elegantem, perspicuitatem, atque grauitatem, nulla facile assequatur lingua alia; vel ab interpretum negligentia, quae etiam inuitis obrepat facillime; vel ab inscitia eorundem, quum opes Graecarum litterarum maiores sint et ampliores, quam vt vnus, paucorumue, ingeniorum angustiis capi vniuersae possint ¹.

III. Nihil tamen minus praefendas esse arbitramur versiones Graecorum librorum Latinas, quae tum adornatae sunt, quum litteris bonis splendor pristinus, atque dignitas, redire coepisset, iis, quae postea exiere. Nam ii interpretes, quorum aetas in aurea illa tempora incidit, non modo legerant ipsos scriptores Graecos diligentissime, hacque attenta lectionis assiduitate vsum loquendi cuiusque penitus imbiberant, omninoque magnam linguae Graecae interioris scientiam consequuti erant, sed in interpretando hoc egerunt, vt sententiam verborum reperirent, repertam redderent simpliciter, et sine vlla ingenii, doctrinaeque, ostentatione. Qui vero postea eosdem interpretari libros aggressi sunt, ii fere omnes hanc curam susceperunt maxime propterea, vt peccata superiorum interpretum emendarent, vt doctrinae copiam, ingeniique acumen, ostentarent, in nixi adminiculis imbecillis Lexicorum, librorumque eius generis aliorum. Quae quidem cupiditas, et ostentatio, neglegens eos saepe labes, et vitia, videre coegit, vbi nulla erant, alia praetermittere, neque attingere, antiqua noua multis augere et cumulare. Nam Ficini quidem versio Dialogorum Platonis Latina quantum praestet, et perspicuitate, et veritate, Serrani interpretationi, quis nescit? Et Philadelphus, interpres paediae Cyri Latinus, quam longe praeterierit diligentia interpretandi accurata Leoclauium, eiusque emendatores et correctores, docebimus, volente deo, alio tempore. Sed idem iudicium videmus faciundum esse de versionibus Fabularum Palaephati Latinis, ab Phasianino,

(C) 5

quem

1. Vid. Reinesius *Lectt. varr.* 3, 5. et 6.

quem alii Phasianinum vocant, et Tollo, profectis. Neutra quidem interpretatio vitiis caret; vtriusque versionis auctores sententiam multorum locorum non sunt assequuti; sed Phasianinus tamen multa explicavit acutius Tollo, et diligentius; Tollo saepe Phasianinum lapsus, ut putabat, excitans, lapsus est etiam longius ipse ². Quae ne forte videamur temere, cupideque, dixisse; quum constituerimus hoc quoque libello Fabulas Palaephati, alumnorum disciplinae nostrae causa, illustrare: afferemus nonnullos vtriusque generis locos, eosque interpretabimur, pro instituti ratione, breuiter, nostroque modo. Ponemus autem primo eos locos, quos vterque interpres, et Phasianinus, et Tollo, eius corrector, perperam explicauit: deinde veniemus ad hos, in quibus vertendis Phasianinus doctrinam, diligentiamque, probauit, Tollo negligentiae, incitiaeque, culpam admisit.

III. Eo igitur Capite ³, quo Palaephatus Fabulam de filiabus Phorcydis explicauit, Perseus legitur, exul Argiurus, mare infestasse, classemque constituisse in freto Herculeo. Et verba quidem Mythici ipsa haec sunt, *πρωτα μὲν ναυλοχεῖ ἐν τῷ πορθμῷ*: quae Phasianinus sic interpretatus est, *adnauigat primam in portum, et stationem ibi nauium faciens*: Tollo, Phasianini emendator, hoc modo, *in portu primum statione facta*. At neutrum interpretem, certissimum arbitramur, vim Graecorum verborum assequutum esse. Etenim primo *πορθμὸς* non est *portus*, sed *fretum*, quo Latino vocabulo explicatur in Glossariis antiquis, atque adeo ab ipso Mela ⁴, hoc est, *ἀμφίγειος θαλάσσια*, quibus verbis in Suidae Lexico explanatur, sed quorum quae sit potestas, non modo verba Hesychii satis docent haec, *γενὸν θαλάσσης ἐν μέσῳ τῆς γῆς*, sed multo etiam magis verba scholiastae Apollonii Rhodii ⁵ ista, *ἡ ἐξ ἀμ-*

2. Vid. Heumanus Parergg. Critt. p. 107. f.

3. Fab. 32, 10.

4. Mela 1, 1. *Angustias, in-*

troitumque venientis [maris], nos fretum, Graeci πορθμὸν appellant.

5. ad 1, 938.

ἀμφοτέρων τῶν μερῶν γῆν ἔχουσα σενὴ θάλασσαν· ab qua interpretatione nec eae discrepant, quae apud Pollucem ⁶, Ammonium ⁷, aliosque Grammaticos veteres ⁸, leguntur. Iam etsi plura freta ⁹ ab utriusque linguae auctoribus commemorantur: tamen eorum duo tantum simpliciter isto vocabulo appellata reperiuntur. Nam angustiae maris, quae sunt inter Italiam, et Siciliam, non modo ab scriptoribus Latinis, ut Cicerone, Caesare, Floro, et aliis ¹⁰,

nun-

6. Onom. 9, 18.

7. In vocab. Ἰσθμός p. 76.: vbi v. Valquenar.

8. V. Eranius Philo περὶ διαφορᾶς σημασίας in vocab. Ἰσθμός p. 169. Valquen.: schol. Hom. ad Odyf. ὁ, 29.: Eustathius ad Odyf. δ' p. 1513, 35. Rom. et ad Dion. Perieg. 140.: Paraphr. Dion. Perieg. ad v. 80.: schol. Eurip. ad Hecub. p. 112. Basil.

9. Suidas laudauit in vocab. πορθμός locum Procopii H. A. p. 109. Aleman. hunc, Πορθμῷ δὴν ἐξάν· ὁ μὲν ἐφ' Ἑλληνιστὸν ἀμφὶ Σησόν τε, καὶ Ἀβυδὸν· ὁ δὲ δὴ ἕτερος ἐπὶ τῷ εἰσόδῳ τῷ Εὐξείνῃ πόντῃ —. At inferi ante ἐσὸν debent verba ἐκατέρωθεν Βυζαντίε, e libris ipsius Procopii, male omissa a Suida, ne cui forte Procopius falsa dixisse videatur: quod miror Kusterum, virum sane diligentissimum, non animaduertisse. Horum fretorum alterum vocatur ὁ μεταξὺ Καλκηδόνος καὶ Βυζαντίε πορθμός ap. Zosim. 1, 59. 4.: vt ap. Paraphr. Dion. Perieg. 142. ὁ ἐν τῷ Βοσπόρῳ καὶ ἀναμεταξὺ Καλ-

κηδόνος καὶ Βυζαντίε πορθμός· alterum freta duas inter currentia turre, h. e. Hellespontus, ap. Horat. 1. ep. 3, 4.: ap. Dion. Perieg. 515. σενάπτον ὕδωρ Ἀθαμαντίδος Ἑλλης· ap. Aeschyl. Persf. p. 128. Steph. πορθμός Ἀθαμαντίδος Ἑλλης· ap. Pseudomusaeum v. 26. πορθμός Ἀβύδου.

10. V. Ducquerus ad Flor. 1, 26. 9. et Audendorpius ad Caes. B. C. 1, 29. 2. Addi potest locus Suetonii Tiber. 2. Cicero N. DD. 3, 10. idem fretum vocat *fretum Siciliense*: Plinius H. N. 6, 32. et Macrobius Saturnn. 2, 11. *fretum Siculum*: Plinius H. N. 19. praefat. *fretum Siciliae*: Strabo 1. p. 94. Almel. τὴν κατὰ Σικελίαν πορθμόν· 1. p. 74. 2. p. 183. τὸν Σικελικὸν πορθμόν· add. 8. p. 580.: Dionys. Perieg. 80. Σικελικὴν πορθμίδα· Erasistratus ap. Athen. 7, 13. p. 298. F' Ῥήγιον πορθμόν θαλάσσης· Apol. Rhod. 4, 982. πορθμόν Ἰόνιον· Aristot. περὶ θαυμ. ἀνισμ. p. 720. C To. 2. Dual. τὸν πορθμόν τὸν μεταξὺ Σικελίας καὶ Ἰταλίας.

nuncupantur absolute *fretum*, sed easdem ab Pausania ¹¹ quoque video τὸν πορθμὸν nude nominari, eo loco, quo Messanam, Siciliae urbem, vocat τὴν ἐν τῷ πορθμῷ Μεσσήνην, hoc est, *incumbentem freto*, quibus verbis situm eius alicubi ab Silio ¹² definiri meminimus. Deinde ea quoque maris Atlantici pars, quae Africam et Europam distinet, et quam vulgo *fretum Gaditanum* ¹³, etiam *Herculeum*, dicunt, ab scriptoribus Latinis haud contemnendis ¹⁴, vocatur *fretum*, omissis apposis illis: quod ipsum fretum quum Strabo ¹⁵ locis non paucis τὸν κατὰ τὰς σήλας, vel τὸν κατὰ τὰς Ἡρακλείδους σήλας, πορθμὸν, Diodorus Siculus ¹⁶ τὸν κατὰ τὰς σήλας πόρον, Polybius ¹⁷ τὸ κατ' Ἡρακλείδους σήλας στόμα, appellarint, consuetudo loquendi Graeca communis simpliciter dixit, auctore Plinio ¹⁸, πορθμὸν. Atque hanc loquendi normam satis apparet sequutum esse Palaephatum loco illo; praesertim quum res ipsa, quae ibi explicatur, de alio cogitare freto lectores non sinat. Perseus enim ναυλοχῶν ἐν τῷ πορθμῷ dicitur inter Cernen, quae est insula extra Columnas Herculis, et inter Gades, insulam Oceani circa eandem Columnas, nunc huc, nunc illuc, nauigasse. Nam verba μεταξὺ τῆς Κυρήνης καὶ τῆς Σώρδεων corrupta esse, emendarique ita debere μεταξὺ τῆς Κέρνης καὶ τῆς Γαδειρέων, docebitur tum pluribus, quum quaeremus de locis Palaephati, vel Codicum veterum ope, vel coniecturae auxilio,

11. 6, 4. p. 461. Kuhn. add. 4. 26. p. 342. et Lucian. Toxar. p. 45. To. 2. Graeu.

12. 14, 194.

13. Vid. Plin. H. N. 6, 32. 38. Macrobius Saturnn. 7, 12. appellat *fretum Gaditanum*, quod *Hispaniam Africamque interiacet*: Gellius 10, 26. *angustus fretus, qui terram Africam, Hispaniamque, interfuit*: Liuius 23, 5. 11. *fretum Oceani*: add. Cic. Tusc. 1, 20.:

Suet. Vitel. 13. *fretum Hispaniae*: Plutarchus V. Sertorii p. 571. E To. 1. τὸν Γαδειραῖον πορθμὸν.

14. Ampel. Memor. 6.

15. 1. p. 101. 2. p. 182. 183. 188. 204. 17. p. 1181. — Almelou.

16. 5, 20.

17. 3, 37. 57.

18. H. N. 3, 15. p. 151. To. 1. Gronou.

xilio, integritati pristinae restituendis ¹⁹. Neque vero soli interpretes Palaephathi vocabulum *πρεθμός* perperam de portu accipere, sed aliorum quoque scriptorum versiones Latinas qui adornarunt, similes errasse errores deprehenduntur ²⁰. Iam verbum *ναυλοχεῖν*, quod eodem illo Palaephathi loco legitur, cum de iis dicitur, qui omnino naues et classem tenent in statione, atque adeo de ipsis nauibus, quae in statione sunt; tum de his, qui nauibus et classe insident locum aliquem, e quo obseruent naues alias, dataque opportunitate, eas inuadant et opprimant, vel de nauibus, quae alias obseruant, iisque insidiantur. Nam vt in Homeri quidem Carminibus ²¹ portus vocatur *ναύλοχος*, quia naues ibi stant, et quasi quiescunt ²²; vt in Aristophanis Babylo- niis nomen *ναυλόχιον*, Polluce ²³ auctore, sic positum erat, vt idem significaret, quod *ὄρμος*. ita verbum *ναυλοχεῖν* ab Grammaticis antiquis explicatur, non solum ²⁴ verbis *ἀναπαύειν καθιστῶντα*, sed etiam verbo *ἐπιμενίζεν*, quod verbum, vel de iis vsurpatur, qui in portu sunt, vel de his, qui naues in portu statuunt. Sed hoc ipsum verbum iidem veteres Grammatici praecipiunt idem declarare, quod *φυλάττειν τινὰς, ἐφορμεῖν, τὰς ναῦς ἐνεδρεύειν* ²⁵. Quas quidem eorum praecepta confirmantur ipso loquendi scrip- torum vsu. Nam de nauibus, quae obseruant alias, iisque insidiantur, *ναυλοχεῖν* vsurpatum extat loco Thucydidis ²⁶

hoc:

19. V. Proluf. 4, 4.

20. V. Schraderus ad Pseu- domusae. v. 26.

21. Odyf. δ', 846. κ', 141.

22. Suidas: *Ναύλοχος*· εὐ- διον, ἐν ᾧ αἱ νῆες λοχῶσιν, ἢ ἀναπαύονται· quae ipsa ver- ba leguntur in Lex. MS. Coif- lin. p. 473. Catal. Montef.: sed pro *ναύλοχος* ibi est *ναύ- λοχον*. Etymol. M. *Ναύλοχος* ὁ λιμὴν, ἐν ᾧ αἱ ναῦς κοιμῶν- ται —. Add. Eustath. ad O- dyff. δ', 846. p. 1519. Odyff. 4p.

1540. κ' p. 1651. Rom. et Pha- vorinus v. *ναύλοχον συνέπας*.

23. 9, 28.

24. Suidas, et ex eo Pha- vorinus: *Ναυλοχῶ*· τὸ τὰς ναῦς — ἀναπαύω καθιστῶν. Phauorinus: *Ναυλοχῶ*, τὸ ἐπιμενίζω.

25. Pollux. 1, 122. τὸ δὲ *Φυλάττειν τινὰς, ἐφορμεῖν, καὶ ναυλοχεῖν*. Suidas, et ex eo Phauorinus: *Ναυλοχῶ*· τὸ τὰς ναῦς ἐνεδρεύω —.

26. 7, 4.

hoc: καὶ πέμπει [Nicias] ἐς Φυλακὴν αὐτῶν [classis Corinthiorum aduentantis] εἴκοσι ναῦς, αἷς ἔρητο περὶ τε Λοκρεῖς, καὶ Ῥήγιον, καὶ τὴν προσβολὴν τῆς Σικελίας, ναυλοχεῖν αὐτάς· sed de iis, qui locum aliquem nauibus infident, vt obseruent aduersariorum classem, vt eam adoriantur, idem verbum legitur loco scriptoris, nesciebam cuius, qui ab Suida ²⁷ laudatur, isto: ἃ δὲ ναῦς προσέταξεν ἐν τοῖς ἀγκῶσι ναυλοχεῖν λανθάνοντας· ἐπειδὴν δὲ αἰσθάνονται, ζευγνύειν αὐτὸν τὴν γέφυραν, καὶ διαβαίνειν ὡς τάχις. Qui quidem locus est sane simillimus Palaephati loco, quem ex haecenus dictis patet ita intellegi, et conuerti, debere, *primo quidem nauibus infedit fretum Gaditanum.*

V. Sed age, afferemus aliud negligentiae Phasianini, et Tollii, in interpretando Mythici libello exemplum. Eo enim Capite ²⁸, quo complexus est Cerberi fabulam, canes Geryonis dicuntur *κύνες νεανικαί*. Hos canes Tollius cum Phasianino Latine *canes iuuenes* dixit, quos appellare *aceres* debuisset. Etenim quum in iuuenibus omnia, quaecunque, vel animo insunt, vel ad corpus pertinent, magna reperiuntur et ingentia: Graeci instituerunt vocabula *νεανικός*, et *νεανικῶς*, eorumque exemplo Latini verba *iuuenilis*, et *iuueniliter*, transferre eleganter ad ea, quae in aliquo genere magna sunt, et ampla, et eximia. Sed quia nunc non id agimus, vt potestatem verborum Latinorum demonstremus; hoc enim labore eo magis supersedere licet, quum Geuarius in Lectionibus Papinianis ²⁹, aliique, magnam eius generis locorum copiam collegerint, quibus tamen addi recte poterit locus Annalium Taciti ³⁰ ille, quo *iuueniliter* hau-

27. In vocab. ναύλοχος.

28. Fab. 40, 2.

29. 1, 32.

30. Ann. 4, 10. Sic Hannibal ap. Cic. Cat. M. 4. dicitur *iuueniliter exultans*, quia acer erat in rebus gerendis, quia potestatem sui Romanis

semper faciebat, quia Italiam vastabat, quo lacefferet Fabium: qualis imperator dicitur *ardens dux* a Floro 4, 2. 42.: vt ipse Hannibal a Claudio 26, 138. vocatur *fulmineus Poenus*.

haurire positum legitur pro *haurire auide*: Graecis tantum vocabulis eam, quam diximus, vim asserere, scriptorum bonorum auctoritate, placet, sed recentiorum, qui eam ab antiquis petiere, quorum locos multos iam ab Stephano laudatos in Thesauro videmus *). Plutarchus ³¹ quidem πνεῦμα νεανικὸν vocat *uentum magnum, vehementem, insanum*: ab Alexide apud Athenaeum ³² *patina ingens* appellatur λοπαὶς νεανικὴ *verbera saeva* Longus ³³ πληγαὶς νεανικαῖς nominat: et Pollux ³⁴, apposita fluuiorum recensens, ponit in iis etiam appositum νεανικοί, quo *flumina rapida* significari aeque certum est, atque νεανικῶς βοηθεῖν in Theaeteto Platonis ³⁵ esse *acriter, fortiter, defendere*. Etsi igitur verba κύνες νεανικαί apud Palaephatum per se de magnis canibus intellegi recte possint: tamen, quum κύνες νεανικαί distinguantur diserte ab μεγάλαις, vocabulum νεανικαί, satis manifestum putamus, accipi de magnitudine impetus, et fortitudine, debere.

VI.

*) Iis addi potest locus Platonis Alcib. I. p. 429. F. Francof., vbi est νεανικώτατον γένος.

31. p. 569. To. 2.: vbi coniungitur cum vocab. βλαυον. Sic Longus 2. p. 62. Mel. ἐνέπνει — νεανικόν —: 4. p. 144. πάνυ μέγα καὶ νεανικόν ἐβόα. Sic σύσασις νεανικὴ καὶ μάλα σφοδρά. Eunap. V. Proaeref. p. 110. Colon. Allobr.: θόρυβος νεανικός Phlegon Tral. περὶ θαυμ. c. I. p. 18.: ἀποδείξεις — νεανικαί καὶ ἰσχυραί Zachar. Schol. Ammon. p. 210. Barth.: νεανικὴ μάχη Lucian. p. 191. To. 2. Graeu.: ἑδὲν σμυνόν, ἑδὲ νεανικόν Aeneas Gaz. Theophrast. p. 41. Barth. Conf. Reinesius epp. ad Bosium p. 277. f. [Ie-

nae a. 1700. 12.]: Bosius disert. de νεωτερικαῖς ἐπιθυμίαις 2. Tim. 2, 22.: Vossius rhetor. 2, 14. 6. p. 294. To. I. Leid.: Barlaeus ad Lucian. p. 69. To. I. Graeu.: Obseruatt. misc. Critt. nouae p. 494, To. 6.

32. 4, 21. p. 170. C: vbi v. Casaub. p. 303.

33. I. p. 23. Mol.

34. 3, 103.

35. C. 21. Sic Plut. de flumm. p. 2. Mos. de Indo fluuiο, ἐστὶ δὲ — νεανικῶς κατὰ φερόμενος. Zachar. Scholast. Ammon. p. 208. νεανικώτερου ἀντελαμβάνομένην. Aeneas Gaz. Theophr. p. 27. νεανικωτέρως ἔργων ἀνέχοιτο. Themistocles ep. 6, 2. νεανικῶς αὐμνέσθαι.

VI. Neque vero melius res successit Phasianino emendatorique eius, eo Capite ³⁶, quo Narratio de Hyacintho continetur, sed quod tamen ab alio quovis potius, quam ab Palaephato, profectum credimus cum Hemsterhusio ³⁷, summo viro. Apollo enim, et Zephyrus, adulescentis amore ardentibus, allicere eum utrique, et capere, arte quique sua, studuere, Apollo sagittarum iactu, Zephyrus eo, ut flamina spirare iuberet. Quod quidem amborum certamen auctor Fabulae his expressit verbis, ἐτόξευε μὲν ὁ Ἀπόλλων, ἔπνεε δὲ ὁ Ζέφυρος· quibus statim subiecit ista, μέλη μὲν ἦν τὰ παρ' ἐκείνους καὶ ἡδονή· φόβος δὲ τὰ παρὰ τὸ τε καὶ ταραχή. Haec igitur verba Phasianinus Latine vertit ita, *sed ab illo cantus et voluptas veniebat, ab hoc vero timor nonnisi ac perturbatio sibi erat*: pro quibus verbis Tollo, correctori Phasianini, reponere visum est illa, *ab illo carmina proveniebant et voluptas, ab hoc autem metus et perturbatio*. Neutram vero interpretationem, neque linguae, et orationis, ingenium fert, neque ipsa verborum collocatio, artisque interpretandi leges, admittunt. Etenim primo formulas τὰ παρ' ἐκείνους, et τὰ παρὰ τὸ τε καὶ, nullo modo valere posse *ab illo, ab hoc*, quis non videt? Deinde quum nomen μέλη ita referatur ad vocabulum φόβος, ut ἡδονή ad ταραχή· quomodo tandem declarari eo *carmina et cantus* possint; praesertim quum Apollo non cecinisset, verum iaculatus esse, dicatur? Immo ut τὰ παρ' ἐκείνους *tela* sunt et *sagittae*, ab *Apolline* iactae et missae: ita per τὰ παρὰ τὸ τε καὶ *flamina* intelleguntur, quae *Zephyrus*, amorem Hyacinthi captans, spirare iubebat. nam τὰ παρὰ τινος ea dici, *quas proficiscantur ab aliquo*, vel etiam *profecta sint*, quocunque modo, etiam tirones Graeci sermonis norunt. Μέλη autem, dubitari nullo modo potest, quin *curam* *) declaret, et *amorem*, et *delicias*, ita, ut Hyacinthus captus esse dicatur, et delectatus, iactu telorum, sed

36. Fab. 47, 2.

*) Virg. Ecl. 1, 58. *Nec tamen interea rauce, tua cura, palumbas* —,

37. Ad Lucian. p. 6. To. 1.

sed commotus, et percussus, flaminibus Zephyri. Etenim quanquam forma vocabuli ipsa est paulo insolentior et rarior: μέλη enim dictum esse videtur pro μέλησις, vñ ἀνθη dicitur pro ἀνθησις ³⁸, αἶσκη pro αἶσκησις, αὐξη pro αὐξησις ³⁹, βλάση pro βλάσησις, βόσκη pro βόσκησις ⁴⁰, etiam ἀπάντη pro ἀπάντησις ⁴¹. tamen orationis series, interpretandique praecepta, satis docent, eandem ei loco illo vim subiici debere, quam tributam scimus ab delictulo Anacreonte vocabulo μέλημα, quod in Glossario Hesychii scienter nomine ἀγάπημα, et verbis ἔτινος ἄν τις φροντίζοι, explicatum legitur. Rosam enim poëta, quinto in Odario ⁴², vocat Εἶαρος μέλημα, quia Ver apud veteres coronari rosis solebat: et quum eodem illo loco rosae, eadem de causa, dicantur Θεοῖσι τερπνά: facile, vt opinor, apparet, verba Mythici μέλη ἦν τὰ παρ' ἐκείνης idem significare, quod τερπνά ἦν τὰ παρ' ἐκείνης. Atque sic sententiam totius loci speramus explicatam patere omnibus.

VII. Sed multo etiam magis mirandum est, Phasianinum, et Tollium, se nec ex eo loco expedire potuisse, quo Palaephatus, vim fabulae Sphingis exponens ⁴³, ait, Sphingem, Cadmi vxorem, cognita mariti leuitate et impietate flagitiosa, quod duxisset vxorem aliam, secessisse in montem proximum cum magna Cadmeorum multitudine, cum magna opum vi, cum cane denique, ὃν ἦκε Καΐδμος ἄγων. Haec enim verba Graeca quum Phasianinus non videret satis, quid sibi vellent: ambages sequutus non necessarias, locum Latine ita vertit, *secumque celerem canem ducens, quem Cadmus habebat*. Sed Tollius eadem illa verba etiam peius sic expressit, *quem continus secum habebat*: et omnium pessime Brunerus hoc modo, *quoties veniebat, hunc secum duxit*.

38. Vid. ad Plat. Sympos. c. 28, 4.

39. Zosim. I, 24. 1.

40. Gloss. vett. Βόσκη Pa-

sius. Vid. Hemsterhusius ad Tho. Mag. p. 127.

41. 1. Regg. 2, 8. Vatic.

42. v. 7.

43. Fab. 7, 6.

duxit. At vos, boni viri, recte superfedere poteratis his longis, et obscuris, verborum ambagibus! Debebatis verba Palaephathi nostri simpliciter ita interpretari, *quocum Cadmus venerat*, siue *quem Cadmus secum adduxerat*, *illuc*, hoc est, Thebas. Nam Participium ἄγων iungitur aliis verbis, auctore Homero ⁴⁴, sic, vt sit simpliciter *cum*: et quia ab scriptoribus antiquis ⁴⁵ saepe eodem sensu Participium ἔχων ponitur, vt ab ipso Palaephato octauo Capite ⁴⁶, vbi ἔχων στρατὸν est *cum exercitu*; quomodo Aristophanes in Pluto ⁴⁷ dixit ἔχων ἀφικται δεῦρο πρεσβύτην, sed alio loco ⁴⁸ eiusdem fabulae τὸν Πλεῖτον ἦκει ἄγων ὁ δεσπότης· itemque Participium λαβὼν ⁴⁹ mirandum profecto non est, Participia ἔχων, et ἄγων, et λαβὼν, saepenumero permutata esse inter se a librariis, vt ab iis, qui Codicem Xenophontis Etonensem ⁵⁰, Guelferbytanum, et Altorpinum, descripserunt, et aliis. Atque haec de primo locorum Palaephathi genere disputata sunt, quorum sententiam diximus male redditam esse ab interpretibus Latinis.

VIII.

44. Odyf. 9', 62. Κήρυξ δ' ἐγγύθεν ἦλθεν ἄγων ἐρίηρον αἰοιδόν. Imitati sunt Homerum, ipsa rerum natura magistra, Euripides: vid. Phoen. 454.: Herodotus: vid. 2, 114.: Plato: vid. Phaedon. 66.: Xenophon: vid. Cyrop. 3, 3. 22. 5, 5. 2. 7, 4. 2. 7, 4. 6. Sympos. 1, 2.

45. Vid. Herodo. 2, 114. Xen. Cyrop. 1, 3. 1. 12. 1, 4. 15. 2, 1. 3. 2, 4. 8. 4, 5. 7. 7, 1. 5. 7, 4. 6. 8, 6. 8. Memorr. 4, 2. 1. Esse autem Partic. ἔχων, atque adeo Partic. ἄγων, et λαβὼν, in illis, aliisque eiusmodi locis, idem, quod μετα, docere quemque possunt loci hi. Isocrat. Euag. c. 11. extr. τὴν γὰρ πόλιν, ἣν Εὐαγόρας,

ἑτέρῃ τυραννεύοντος, μετὰ πεντήκοντα ἀνδρῶν εἰς, ταύτην βασιλεὺς ὁ μέγας, τοσαύτην δύναμιν ἔχων, ἐχ' οἷός τ' ἐγένετο χειρώσασθαι. Xen. Cyrop. 4, 2. 5. καὶ Τηγράνης, ἔχων τὸ ἑαυτῆς κράτευμα· sed ap. Zonaram Chron. p. 108. Το. 1. Vuolf. est, καὶ ὁ Τηγράνης μετὰ τῶν Ἀρμενίων συνην.

46. f. 5.

47. v. 265. add. v. 269. f.

48. v. 284. f.

49. Xen. Cyrop. 5, 5. 2.

50. V. Hutchinsonus ad anab. 3. p. 215. min. Cyrop. 5, 3. 19. pro ἄγων Cod. Alt. et Iunt. habent ἔχων· vt 7, 4. 8. Cod. Alt. et Guelf.: et 5, 5. 9. pro λαβὼν in Cod. Guelf. scriptum est ἔχων.

VIII. Nunc veniemus ad genus alterum eorum locorum, quos quum doctrina Phasianini, et diligentia, satis illustrasset, negligentia Tollii, et inscitia, rursus obscuravit. Sed horum quoque locorum tantum nonnulli a nobis, exempli causa, afferentur. In ea enim Fabula ⁵¹, quae est de Scyllae monstro, leguntur haec verba, τοιαύτην δὲ φύσιν ἐννοεῖν πολὺ εὐήδες. quae Phasianinus rectissime, et intellexit, et interpretatus est, *talem autem naturam credere, valde stultum est.* Atque haec verba Tollius intacta relinquere, neque commutare debuisset istis, *talem autem generationem concipere, perquam absurdum:* quae sane sunt absurdissima. Nam φύσις nullo modo potest *generationem* significare; quod est omnino barbarum vocabulum, immo *naturam*, hoc est, *speciem*, declarat, atque adeo idem est, quod ἰδέα. quod nomen in Fabula de Centauris extat; de quibus ipsis monstris Heraclitus ⁵² vocabulo φύσις usus est, ut Minotaurus ab Isocrate in Helenae Laudatione ⁵³ φύσις ἐξ ἀνδρὸς καὶ ταύρης μεμυγμένη appellatur, et res, quae in caelo, et orbe terrarum, sunt, ab Aristotele ⁵⁴ φύσεις dicuntur. Sed longe plus negotii interpretibus Palaephati, aliisque viris doctis, facessit, sed sine causa, locus Prooemii *) hic, ὁ γὰρ ὀνόματα μόνον ἐγένετο, λόγος δὲ περὶ αὐτῶν ἔδεις ὑπῆρξεν. Sic enim legi debet, auctoritate Arundeliani, Oxoniensis primi, aliorumque, Codicum: aut certe, praeunte libro Aldino, ὁ γὰρ ὀνόματα μόνον ἐγένοντο, λόγος δὲ περὶ αὐτῶν ἔδεις ὑπῆρξεν, non ὄνομα, quod natum, librarii negligentia, opinabamur ex ὀνόμα' ⁵⁵. Quorum quidem verborum sententiam Phasianinus omnium primus praeclare vidit, neque omnino male ita explicavit, *neque enim nomen:* immo *nomina*, sed legit cum Aldo ὄνομα. duntaxat fuisse existimandum est: nullus alioqui super his sermo existeret. nam verba λόγος δὲ

(D) 2 περὶ

51. Fab. 21, 1.

54. de mundo c. 2.

52. Περὶ Ἀπ/ς. c. 5. add.

*) f. 2.

c. 17.

55. V. Animaduersf. ad

53. p. 127. To. 2. Bat.

Vuelleri Gram. Gr. p. 92.

περὶ αὐτῶν ὁδεῖς ὑπῆρξεν interposita sunt, sic, vt sequens particula ἀλλὰ referri debeat ad verba ὁ γὰρ ὀνόμαστα μόνον ἐγένετο· et particula δὲ sustineat, vt saepe, vices particulae γάρ. Huius vero rei ignoratio Tollium eo deduxit, vt locum emendatione adiuvandum putaret, eumque verteret satis inepte, *si enim solo nomine contigissent, sermo super his existeret nullus.* At sic particulam δὲ prorsus neglectam, omissamque, apparet. Sed non solum his in locis Phasianinus Tollium superavit doctrina, et interpretandi diligentia, atque orationis Latinae elegantia, sed in multis etiam aliis, quos brevitatis studium praeterire nos iussit; praesertim quum consilio nostro iam satisfecisse videremur.

VIII. Admonere enim voluimus, vt omnino omnes bonarum litterarum studiosos, ita in primis disciplinae nostrae alumnos, vt ne vnquam confiderent versionibus Graecorum librorum Latinis, sed adirent semper ipsos libros Graecos, atque adeo Graecas litteras studiosissime cognoscerent, quarum scientia quam utilis esset in omni genere artium, studiorum, vitae, accepissent, a nobis non semel.

X. Atque his monitis nostris parere adhuc, pro suo liberalium artium amore, studuit *Car. Irénotherus Riterus*, Oribaco Nariscus, humanissimus adulescens, quem iussimus suscipere hoc anno personam et partes interpretis pietatis aduersus deum O. M. nostrae. Sed quum peruersitas hominum quorundam liuida, et hircina, nuper nobis ita molesta esse conata esset, vt otium animi inde, et tranquillitatem, effloruisse nobis maiorem videremus: auctores optimo Iuveni fuimus, vt cras hora quinta vespertina in Auditorio classico diceret Latine *de incommodis et molestiis, omnium commodorum, omnis felicitatis verae et liquidae, certissimis causis, et fontibus vberrimis.* Quam quidem orationem Discipuli classici, eiusque veterani, confido studiose auditum iri a vobis, Collegae suauissimi. Nam in his tot, tantisque, incommodis, et molestiis, quae capiendae sunt magistris scholarum cotidie, vel e desidia, contumacia, etiam impietate, discipulorum, vel e calumnia, malitiosaque, et men-

mendaci, infamatione, sane iucundissimum est, meminisse, et videre, quam digna sint incommoda ista omnia commodorum nomine potius, et quam sapienter deus illa vitae scholasticae proposuerit, tanquam praemia, quibus ipsa ornaretur, et cumlaretur. Vos vero, optimi Discipuli, eo frequentiores intereritis orationi Communitatis vestri, quo magis necessarium est, et vtilius, statim a puero assuefcere admirari, et celebrare, incredibilem sapientiam dei, et aduersus homines liberalitatem nouam, quae etiam iis, quae mala, bonisque contraria, esse videantur, felicitatem mortalium fundari velit, constitui, firmari. Nos quidem deum rogamus, oramusque, omnibus precibus, vt nobis anno futuro, non solum comoda contingere, et gaudia, verum etiam molestias, et incommoda, sed eiusmodi, quibus ferendis pares reperiamur, accidere, iubeat, quo de fragilitate fortunae, rerumque humanarum, admoniti modestiae studeamus, pietatem aduersus ipsum probemus, auxilium ab ipso omnibus in rebus ardentè imploremus, atque adeo conscii recte factorum, et beniuolentiae diuinae, animi otio, et securitate, liquida propriaque fruamur. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana a. d. III. Kal. Ianuarias

A. C. CICIDCCCLXX



PROLVVSIO QVARTA

Q V A

RECTVS CRITICES VSVS

ITA COMMENDATVR

VT LOCI FABB. PALAEPHATI

NONNVLLI EMENDENTVR

VINDICENTVR

Q. B. V

Docuimus libello superiore, Phasianinum, et Tollium, interpretes Fabularum Palaephati Latinos, multis in locis, aut omnino non, aut certe non satis, assequutos esse, neque adeo declarasse diligenter Latinis verbis, vim sententiamque verborum Graecorum. Quae quidem querelae ut e re ipsa extitisse crederentur, neque ab mala quadam, et inepta, vituperandi libidine profectae viderentur: attulimus tum locos Mythici nonnullos, in quibus explicandis labi iussisset, et peccare, utrumque virum doctum, vel incititia sermonis Graeci, vel negligentia et incuria. Sed magnus etiam eorum locorum inuenitur in eodem Palaephati libello numerus, quos facile appareat Phasianinum male interpretatum esse, nulla alia de causa, quam quod ipsa verba Graeca scripta essent a librariis adeo mendose, ut nullus ex iis sensus elici villo modo posset, sed quae istorum hominum menda ipse, aut non animaduertisset, aut corrigere, et tollere, non potuisset. Nam eo quidem Fabulae

lae de Phrixo Hellaque loco ¹, quo Athamas, Aeoli filius, Hellenis nepos, dicitur Phthiae, opidi Thessaliae celebris, rex fuisse, legendum viri docti verissime docuerunt, vel e Codicibus bonis, vel sponte, et ex ingenio, Ἀθάμας ὁ Αἰόλης, τῷ Ἑλλήνῳ, ἐβασίλευσε τῆς Φθίας. Aldus autem ediderat e suo Codice, Ἀθάμας ὁ Σόλης τῷ Ἑλλήνῳ ἐβασίλευσε τῆς Φρυγίας. Quae quidem vitiosa scriptura, quam Phasianinus integram esse, sanamque, putaret, non potuit non parens existere, atque mater, infelix malae et ineptae interpretationis, *Athamas Graecorum exercitus in Phrygia praefectus erat.* Sed haec ipsa res, haec ipsa oculorum, manuumque, librariorum stulta incuria, impedimento fuit, ne reperiretur ab eodem Phasianino sententia Fabulae de Claua Herculis, et loci Narrationis de Phaone, nauiculario, eius, quo Sappho celebrasse hominis nomen carminibus traditur suis. Nam posteriore quidem loco ² in Aldi Codice scriptum extabat, ἐφ' ᾧ τὸν ἔρωτα αὐτῆς ἡ Σαπφὼ πολλαῖς αἵμα ἐποίησε sed prior ille locus ³ pluribus etiam, et maioribus, scripturae mendis corruptus in eodem libro Aldino reperiatur, ὁ ἔν Φυλλίτης εἰ καὶ ιδιώτης ὑπῆρχεν ἐπινοήσας ἔκαυσεν. Hanc vero verborum seriem omni sensu carere, et per se apparet satis, et abunde arguit interpretatio eorum Latina Phasianini. Posterioris enim loci verba ita interpretatus est vir doctissimus, *Ipse igitur Phyllites dictus, etsi priuatus humilisque sortis existeret, cogitans tamen, quorsum illa Hercules gestaret, combussit:* sed locum priorem vertit hoc modo, *Cuius amore quum capta Sappho esset, sese interimens, amorem illum in sanguinem, moeroremque, conuertit.* Quae quidem monstra interpretationis quem non doceant, quam necessaria, quam salutaris, quam benefica, censenda sit opera illorum Grammaticorum, qui in

(D) 4 emen-

1. Fab. 31, 8.

2. Fab. 49, 3.

3. Fab. 37.

emendandis scriptorum veterum libris versentur ⁴. Quem non admoneat inanis illa, et ieiuna, verborum Latinorum obscuritas; quem non eo adducat, vt neminem fateatur audere debere ad enarrandum vllum libri alicuius veteris locum prius accedere, quam diligenter viderit, et studiose quaesierit, integra omnia ibi, et sana, reperiantur, an vitii aliquid, et labis, alicubi haereat imperitorum librariorum culpa adpersum, vt, si mendae quaedam, et maculae, appareant, eluere eas ante, et delere, studeat? Et quis in hac tanta, et tam euidenti et perspicua, vtilitate Critices, cuius sine auxilio idonea vllius libri interpretatio saepe ne cogitari quidem possit, non miretur, vixisse omnibus saeculis in omnibus ciuitatibus non paucos, qui sperarent, atque adeo confiderent, se, sine vlla huius curae et diligentiae molestia, iucunda sane et dulci, recte, feliciterque, versaturos esse in interpretandis libris diuinis, et qui huius laboris onus subiissent, eos temeritatis, et leuitatis, nescio cuius, accusarent: quum tamen a libris diuinis, descriptis ab imbecillis, leuibusque, hominibus, constet non magis abesse huiusmodi labeculas, et vulnera, quam ab scriptis humanis ipsis?

II. Est autem medicina horum vulnerum duplicis generis: alia, eaque fere optima, et efficacissima, petitur ex ipsis Codicum bonorum armariis: alia promitur ex ingenii felicitis, et subacti, thesauris, non semper illa bona, et salutaris. Sed vtriusque generis, posterioris maxime, remedia ante, quam adhibeantur, diligentissime exigi oportere ingenia eorum, et virtutes, patet, cum ad ipsarum rerum naturam, tum, vt omnino ad leges, et praecepta, linguae, qua libri scripti sunt, ita in primis ad vsum loquendi scriptoris cuiusque. Etenim magnam nunc Criticorum, Batavorum maxime, et Britanorum, reperiri multitudinem nouimus, qui hoc vti peruersissimo more soleant, vt, si

inci-

4. Vid. Muretus Varr. lectt. 8, 4.

inciderint in verba aliqua rariora, in formulas dicendi exquisitiores aliquas, in scriptore eo, quem interpretandum sibi sumserint, intrudi haec verba, inculcari has formulas, omnibus aliorum scriptorum locis similibus, neque ingenii rerum, neque consilii, et orationis, scriptorum, ratione habita, audaces iubeant: vt alios, regularum et legum a se propositarum amore captos, irasci adeo, et succensere, videmus iis, qui noluerint omnia in libris antiquis ad normam earum constituere, et emendare; quum tamen ipsi suauiter rideant stuporem, et ineptias, illorum medicastro- rum, qui inuenta a se, et parata, glorientur et clament in circulis medicamenta, et emplastra, catholica, hoc est, eiusmodi, quae reperiantur omnibus omnium corporum morbis, omnibus vulneribus, sanandis accommodata. Age vero, demonstrare conabimur ea omnia, quae diximus de medicina corruptorum locorum, eiusque, cum vsu recto, tum abusu temerario, et confirmare, exemplis e Palaephati libello petitis.

III. Praesentissimae igitur, et certissimae, verborum prae scriptorum correctiones arcessuntur e Codicibus scriptis, atque adeo e libris editis, quos ex istis totos ductos appareat, ita tamen, vt, et natura rerum, de quibus exponitur, et linguae leges, vna cum vsu loquendi scriptoris cuiusque, consulantur. Apud Palaephatum quidem loco Fabulae Daedali 5 eo, quo Minos Daedalum, et Icarum, eius filium, dicitur in carcerem coniecisse, in Aldino exemplo leguntur haec verba, *Φασιν, ὅτι Μίνως Δαίδαλον, καὶ Ἰκάρου, καθεῖρε διὰ τινὰ αἰτίαν υἱὸς αὐτῆς ὄντας.* Quae scriptura quum ipsi rei aduersetur; quum Daedalus, et Icarus, a nemine veterum filii Minois dicantur: Toli- tius ei ita succurri posse putabat, vt legeretur, mutatis Nu- meris, *υἱὸν αὐτῆς ὄντα.* At vero sic, et verba illa ab eo nomine, ad quod pertinent, remotiora sunt, quam vt vi-

(D) 5

deri

5. Fab. 13, 1.

deri possint ab scriptore eo, quem ipsa rerum, quas persequitur, natura amplecti iusserit lenem orationem, et placidam, illo loco esse posita, et Participium verbi substantiui nullo modo, per naturam et leges linguae, ferri potest. Dresigius igitur, qui videret, quibus difficultatibus premeretur Tolliana coniectura, ausus est rescribere in exemplo suo *διὰ τινὰ αἰτίαν ὑπ' αὐτῶν ὄντας*, vt Minos Daedalum, et Icarum, sibi obnoxios in carcerem inclusisse diceretur. Quae quidem emendatio etsi valde blandiatur Graecis, et eruditis, auribus; neque enim longe repetita est, neque ab ingenio linguae, et ipsius rei, aliena: dummodo *αὐτῶν* mutetur in *αὐτῷ*. tamen nobis propterea non satisfacit, quia Icarus, Fabula extrema, dicitur a parente sepultus esse, vt videatur antea dictus a Mythico filius Daedali. Itaque ipsum Palaephatum putabamus scripsisse, *Φασὶν, ὅτι Μίνως Δαίδαλον, καὶ Ἰκαρον, τὸν υἱὸν αὐτῶν, καθ' ἑξῆς διὰ τινὰ αἰτίαν* quae scriptura, non modo re ipsa adiuuatur, consilioque, et natura, orationis, sed Britannicorum quoque Codicum auctoritate firmatur, in quibus hic locus totidem verbis scriptus, Galeo auctore, reperiebatur. Neque vero posteriores Palaephathi editores in Europae Fabula ⁶ pro *Εὐρώπην τὴν Φοίνικος*, quae erat Aldini Codicis lectio, rescribere debebant. *Εὐρώπην τῆς Φοίνικος*. Nam etsi non ignoro, extare in libris nonnullorum scriptorum editis locos, vbi nominibus filiarum propriis addita legantur patrum nomina, praemisso Articulo *τῆς* ⁷ tamen, non modo rari sunt huius generis loci, vt ipsi videantur, librariorum, editorumue, incuria, esse corrupti, alterius generis exempla admodum frequentia ⁸; sed, quod

caput

6. Fab. 16, 1.

7. Apollodorus bibl. 1. p.

7. Fab. *Κρῖς δὲ, καὶ Εὐρυβοίας, τῆς Πόντις* sed in nouissima editione legitur *Εὐρυβοίας τῆς Πόντις*.

8. V. Raphelius ad Luc. 3,

23. Locis ab eo laudatis addi

possunt hi. Pausan. 1, 25. p.

59. Kuhn. *Ἰὼ, τὴν Ἰνάχην, καὶ*

Καλλιπῶ, τὴν Λυκάονος —

8, 2. p. 601. *τὴν Ταντάλη*

Νιόβην.

caput est, Palaephatus ipse eodem illo Capite ⁹ dixit Εὐρώ-
πην τὴν τῷ βασιλέως, et alio loco ¹⁰ scripsit, consentien-
tibus omnibus libris, περὶ Μήτρας τῆς Ἐρσιχθονός φα-
σιν. Sed in libello Palaephati etiam singulis saepe litteris
mendose scriptis medetur, assumtis ipsius rei, vsusque lo-
quendi, auxiliis, librorum veterum fides atque auctoritas.
Capite enim vndeicesimo ouiculae Hesperī, Milesii, di-
cuntur, in editis quidem libris omnibus, οἷς καλαὶ καὶ
ἔγκαρποι sed nos nuper, Britanicorum Codicum admo-
nitu, reponere ausi sumus οἷς καλαὶ καὶ εὐκαρποι. Qua
quidem audacia nostra, neminem facile futurum spera-
mus, qui offendatur. Etenim primo ouiculae illae a Pa-
laephato ob eximiam fecunditatem, non propter grauidi-
tatem, laudantur, quum tamen οἷς ἔγκαρποι sint ouicu-
lae fetas, ἔγκυοι, non secundae, vt arbores fetas, fructi-
feras, appellari nouimus, etiam Polluce auctore ¹¹, δέν-
δρα ἔγκαρπα quae adeo ipsae ab Longo ¹² dicuntur esse
ἐν καρποῖς, vt campi ἐν λήϊοις. Deinde vero nemini pot-
est noua videri, atque insolens, illa emendatio, quum ca-
lami librariorum reperiuntur, non modo multis aliis in
locis veterum scriptorum, vt Maximi Tyrii, et caetero-
rum,

Νιόβην. Apollodorus bibl. 1.
p. 5. Μητιν, τὴν Ὀκεανῶ
p. 15. Μερόπην, τὴν Οἰνοπίω-
νος — Ἀμφιτρίτην, τὴν Ὀ-
κεανῶ p. 27. ἐκ Κρεῖσσης, τῆς
Ἐρεχθέως, — Ἐναρέτην, τὴν
Δηϊμάχην, — Ἰφιμέδειαν, τὴν
Τρώπην —. Scilicet adfit,
per leges perspicuitatis, ne-
cesse est signum, e quo co-
gnoscatur, quod desit voca-
bulum.

9. f. 3.

10. Fab. 24, 1. Plutarch.
E. PP. 4, 11. δένδρα — ἄκαρ-

πα — ἔγκαρπα. Sed idem
Pollux 1, 240. in appositis ar-
borum fecundarum numerat
verba εὐφορον, πολύφορον,
εὐκαρπον, πολυκαρπον hanc-
que earum virtutem vocari
ostendit εὐφορίαν, πολυκαρ-
πίαν, εὐκαρπίαν, πολυφορίαν.
Sic ἔμπαις est, Hesychio in-
terprete, ἐγκύμων, vt equi in-
signes a Latinis dicuntur equi
signo quodam notati, qui in
se habent signum quoddam.

11. Onom. 1, 232.

12. Pastorr. 1. p. 17. Mol.

rum, *ἐγκαρπος* scripsisse pro *εὐκαρπος* ¹³, sed in aliis adeo vocabulis similibus particulas *ἐν*, et *εὐ*, inter se permutasse ¹⁴. Atque eiusdem generis labeculas semper nobis visi sumus videre in loco Fabulae Geryonis eo, quo, ut novam, inuissitatamque, armentorum hominis speciem oculis legentium demonstret Palaephatus, *ἦσαν γὰρ*, inquit ¹⁵, *τὸ μὲν μέγεθος μικρά, ἀπὸ δὲ κεφαλῆς ἐπὶ τῇ ὀσφύϊ μικρά καὶ σιμαί*. Ita enim scriptum ediderunt locum, Aldo duce, Tollius, Brunerus et Pater, Galeus, et iam Dresigius. Nos vero non dubitamus, quin e Codicibus Britanicis, et aliis, pro *ἐπὶ τῇ ὀσφύϊ* reponi *ἐπὶ τὴν ὀσφύν*, et pro *μικρά καὶ σιμαί* rescribi, eorundem librorum auctoritate, *μακρά καὶ σιμαί*, debeat. Nam primo nemo ignorat, particulae *ἐπὶ* fere quartum sic, non tertium, Casum iungi, nihilque frequentius esse in libris antiquis permutatione horum Casuum non minus, quam vocabulorum *μικρός* et *μακρός*. Deinde mirifice adiutari videmus emendationem illam, cum ipsius rei natura, tum ingenio reliquorum verborum. Nam quis non sentit, recepta lectione *μακρά*, speciem boum Geryonis existere multo

13. V. Marclandus ad Max. Tyr. p. 699. et p. 705. Sic ap. Plut. de discr. amici et adul. c. 23. pro *εὐκαρπον* Cod. Vulc. habuit *ἐγκαρπον*.

14. Apud Xen. Cyrop. 3, 2. 5. pro *ἐρυμνόν τε ὄν, καὶ ἔνυδρον*, rescribi sine ulla dubitatione debet *ἐρυμνόν τε ὄν, καὶ εὐνδρον* e versione Philelphi, et Cod. Budensi, quo Camerarius usus est. Apud Lucian. Nauigg. c. 20. p. 262. To. 3. pro *ἐνυδρον, ἢ εὐκαρπον*, Guietus recte vidit rescribendum esse *εὐνδρον, ἢ εὐκαρπον* ut Grotius ap. Eu-

rip. Phoenn. 673. pro *νάματ' ἐνυδρα* intellegenter edidit *νάματ' εὐνδρα*, quae est certe Cod. Cantabr. et Leid. optimi scriptura. Nos vero nec ap. Aelian. V. H. 9, 16. dubitamus, quin pro *καὶ τὰ ἐνυδρον αὐτῆς* reponi debeat *καὶ τὸ εὐνδρον αὐτῆς*. Verbum *εὐνδρεῖν aquis diuitem esse*, quod caret Thesaurus Stephanianus, legitur ap. Strabon. 8. p. 570. B Almel.: a quo verbo ductum est nomen *εὐνδρα*, quod Scotus notauit ex eodem Strabone, 5. p. 333. C.

15. Fab. 25, 4.

multo mirabiliorem, et insolentiorē? et quis non intellegit, hanc speciei insolentiam, et nouitatem, sic etiam magis patere oculorum luminibus? Σιμόν enim dicitur, quicquid habet formam recuruam, et reduncam, contrariumque est γρυπῶ¹⁶, quo vocabulo ea omnia appellantur, quibuscunque incurua est, atque adunca, forma: ut venter plenus, cibisque refertus, ab Xenophonte¹⁷ γαστήρ γρυπῇ nominatur, sed inanis, cibisque vacuus, σιμή, quia huius quidem species redunca est, sed illius forma adunca. Iam vero crates costarum reduncarum, vel dorsi redunci superficies, longior facile intellegitur maius, magisque admirandum, oculis spectaculum praeberē, quam breuior crates, et superficies: quam fortassis Palaephatus etiam vocabulo βραχεῖς expressisset, non verbo μικραί, etsi equos Sigynnum non ignoro ab Herodoto¹⁸ μικρὰς καὶ σιμὰς appellari. Et ut in Fabula Glauci, Sisyphi filij¹⁹, indoles verborum, linguaeque rationes, corrigi iubent, ex iisdem Codicibus Britanicis, et aliis, τῶν οἰκείων ἐδὲν ἐπιμελέμενος, hoc est ἀμελῶν, quo verbo Palaephatus sic usus est alio loco²⁰; Aldino enim in libro, cuius scripturam nec caeteri editores immutare ausi sunt, legitur τῶν οἰκείων ἐδενὸς ἐπιμελέμενος: ita certissimum debet, exploratissimumque, videri, eo loco²¹, quo Zethus et Amphion, citharœdi, dicuntur fidibus cecinisse mercede, pro ἀπεδείκνυντο μισθῶ restituendum esse e Raviano Codice ἐπεδείκνυντο μισθῶ. Nam ἐπιδείκνυσθαι, non ἀποδείκνυσθαι, ii dicuntur, qui exercitationes instituunt in aliquo genere, ut se, suamque artis scientiam, et facultatem, ostendent. Atque huiusmodi lenium, sed efficacissimorum,

16. Suidas: Σιμός· ὁ ἐναντίος τῷ γρυπῶ.

17. Cyrop. 8, 4. 9.

18. 5, 9.

19. Fab. 26.

20. Fab. 3, 4. Sic Xen.

Ven. 12, 10., si quidem Xenophon est huius libelli auctor, Λέγασσι δέ τινες, ὡς ἐχρῆ ἐρᾶν κυνηγεσίῳ, ἵνα μὴ τῶν οἰκείων ἀμελῶσιν.

21. Fab. 42, 2.

rum, remediorum multo maiorem copiam scimus servatam extare in Codicibus antiquis Palaephathi: quorum auxiliis vehementer miramur nondum diligenter usus esse viros doctos in sanandis vulneribus elegantissimo, utilissimoque, libello multorum librariorum, vel inscitia, vel neglegentia, inflicta.

III. Sed saepenumero omnes librorum veterum Codices exhibent lectorum oculis verba mendose scripta; saepenumero omnium librariorum manus peccasse in scribendis, non modo litteris, syllabisque, singulis, verum integris etiam vocabulis, leges Grammaticae non minus declarant, quam ipsorum verborum ingenium, totiusque orationis series. Tum vero auxilia peti debere in promptu est ab ingenio, adiuto, et instructo, linguarum veterum copiis, omninoque Grammaticae, et usus loquendi scriptoris cuiusque, scientia idonea; etiam sagacitate quadam praedito, quae videat, et quasi odoretur, vestigia verarum lectionum, lectionibus falsis fere impressa. In Palaephathi quidem libello invenitur huiusmodi locorum magna copia. Mythicus enim ut doceat lectores, iisque persuadeat, Actaeonem propterea dici ab canibus suis deuoratum esse, quod ob nimium venandi studium neglexerit rem familiarem, adeo, ut inops tandem, omniumque rerum egenus, fieret, ostendit, etiam lenonem eum, qui ad inopiam, et egestatem, redactus sit, ferri vulgo a meretricibus, et fornicariis, deuoratum. Eo autem loco ²² leguntur in libris scriptis, iisque integris, neque male truncatis, interpolatisque, omnibus haec verba, ἐπ' ὧν περ καὶ νῦν πορνοβοσκῶν δυστυχήσεις εἰώθασι λέγειν, ὅτι ὑπὸ τῶν πορνοῶν κατεβρώθη. Quibus quidem verbis facile apparet nullam inesse, neque structuram, neque sententiam, huiusque vitii causam latere in verbo δυστυχήσεις. Quod

quam

quum viri docti viderent: labeculam illam ita abstergendam, et tollendam, censuere, vt legeretur, aut *πορνοβοσκῶν δυστυχῇ*, aut certe *πορνοβοσκὸν δυστυχῇ*. Quae quidem medicina, leni sane, neque crudeli, admissa, dubitari nullo modo potest, quin integritas loco sua, et sanitas, restituta iudicari debeat. Etenim syllabam *σε* facile parere prima verbi sequentis syllaba, ab dictantibus male pronuntiata, potuit: et Palaephatus aliis quoque in locis casu Accusatio ita vtitur, cum verbis *λέγειν*, *Φάσκειν*, et similibus; Homeri, aliorumque bonorum scriptorum, auctoritate ²³, ita adiungit, vt poni pro eo casus Genitiuus, praemissa particula *περὶ*, possit, vel potius vim Nominatiui habeat, qui referatur ad verbum sequentis incisi ²⁴, adeo, vt iam loco illo, non solum structura verborum legitima reperiatur, sed nec sententia requiratur idonea. Et quanquam per se nihil referre apparet, *πορνοβοσκὸν* legatur, an *πορνοβοσκῶν*: tamen Pluralem numerum Singulari praeferendum putamus, cum quia in Aldino libro diserte scriptum *πορνοβοσκῶν* legitur, tum quoniam elegantius dicitur, atque exquisitius, *πορνοβοσκῶν δυστυχῆς*, quam *πορνοβοσκὸς δυστυχῆς*. Itaque carere recte possumus vsu medicinae paulo asperioris, neque omnino bonae, quam pararat illi ipsi vulnere ingenium magni Casauboni, qui illud ita sanandum censebat ²⁵ *ἐπέπερ καὶ νῦν εἴτις πορνοβοσκεῖν δυστυχῆσειν*. Sed quemadmodum dubitari nequit, quin Bellerophontis in Fabula ²⁶ *προσβάσεις*, et *προσβασιν*, emendari debeat, quamuis abdicentibus Codicibus scriptis, praeter Mosquensem, omnibus; in his enim legitur *προβάσεις*, et *πρόβασιν*: quum *aditus*, et *viae*, quibus *aditus ad locum aliquem patet*, *προσβάσεις* dicantur ab omnibus, a nemine *προβάσεις*, neque dici

23. Vid. Ric. Dauesius Miscell. Critt. p. 147. f. edit. pr.

24. V. Praefat. ad Vuelleri Gram. p. 10.

25. Vid. Casauboniana, ab Ioh. Christo. Vuolfio edita,

p. 14.

26. Fab. 29, 5. f.

dici adeo, per naturam vocabuli, possint: ita eo Capite ²⁷, quo casus Alcestidis explicatur a Mythico, perperam scriptum exhibent libri veteres omnes ἀνακτησάμενος Ἡρακλῆς: sed verbum ἀνακτησάμενος loco mouendum esse, aliudque reponendum, res ipsa, et tota vicinia, clamat. Virorum igitur doctorum ingenia ita succurrerunt verbis laborantibus, vt ἀνακτησάμενος mutandum esse docerent in ἀγανακτησάμενος. Quod quidem ingenii, et doctrinae, auxilium quam praesens sit, et salutare, quam non longe arcessitum, quis non videt? Nam primo sic aptissime cohaerent inter se omnia, et naturae rei, qua de exponitur, satisfactum apparet: deinde ab librariis omnes norunt, innumeris aliis in locis, medias verborum syllabas, praesertim quae similes essent proxime sequentibus syllabis, qua sonum, qua litteras, praetermissas esse: denique non insolens debet, et noua, videri forma illa Aoristi Medii, quum ea Lucianus quoque vsus alicubi reperiatur, Thoma Magistro auctore ²⁸, ab quo alia etiam huius generis exempla notata laudantur. Sed manus librorum reperiuntur conspirasse in scripturam mendosam maxime iis locis, quibus nomina, vel personarum, vel locorum ²⁹, propria leguntur. Cuius quidem consensio- nis duo egregia exempla habentur in Fabula Phorcyni- dum ³⁰. Ibi enim Phorcyn dicitur fuisse Cyrenaeus: Cyrenaei feruntur genus duxisse ex Aethiopibus, et habitasse Cyrenen insulam, extra Columnas Herculis: Perseus perhibetur mare infestasse, et nunc fretum Herculeum infestasse nauibus, nunc loca inter Cyrenen, et Sardes, atque ab vna insula ad alteram nauigasse. Ita enim res traditur in libris Mythici vulgatis, et scriptis, omnibus: sed verba eius facile apparet mendose descripta esse non vno loco.

Et

27. Fab. 41, 7.

29. Vid. Reinesius Varr.

28. p. 416. Bern. Locus

lectt. 1, 25.

Luciani est Somn. c. 4.

30. Fab. 32, 5. 10.

Et pro Κυρήνη quidem, Κυρηναῖος, et Κυρηναῖοι, repomendum docuit magnus ille Vuesfelingius *) Κέρνη, Κερναῖος, et Κερναῖοι. Etenim Cyrenen insulam ignorant, sed Cernen insulam norunt, scriptores, et geographi, veteres omnes, et plerique eorum eam tradunt positam contra Atlantem, Mauritaniae montem, non procul ab Gadibus, atque adeo extra Columnas Herculis ³¹: ita, ut incolae huius insulae facile intellegantur originem ducere potuisse ex Aethiopibus, et Libyae partem eam, quae erat ad Annona fluvium, colere. Quae quum ita sint; quum ipso Fabularum interpretis nullo modo videri possit talem, tantumque, errorem errasse; quum illa Vuesfelingii emendatio, non tantum re ipsa, et facilitate sua, adiuuatur, sed etiam intelligentissimorum hoc in genere iudicium sententis comprobata legatur ³²: quis de elegantia eius, et veritate, dubitet? At quid fiet de verbis καὶ τῆς Σαρδάνων? Sane iis, nec Sardinia insula, quam Phasianinus, et Tullius, intellegi putabant, nec ager Sardinus, significari villo modo potest. Etenim Sardinia appellari debebat ἡ Σαρδάνων, vel certe ἡ Σαρδανίων, aut ἡ Σαρδονίων ³³, et quomodo Perseus, qui fertur fretum Herculeum insedissee navibus, Gorgonem captans, nauigasse ab Cerna insula ad agrum Sardinum, qui potius ἡ Σαρδάνων ³⁴, vel ἡ Σαρδανίων

*) ad Diod. Sic. 3, 54. p. 222. To. 1.

31. V. Plin. H. N. 6, 31. Cellarius Geogr. ant. p. 939. f. To. 2. Tzetzes ad Lycophron. 18. Κέρνη· νῆσος Ὀκεανῆτις, ὅπόθεν ὁ ἥλιος δοκεῖ ἀνατέλλειν.

32. V. Valquenarius ad Herodo. 4, 8. p. 283.

33. V. Stephanus Byzant. v. Σαρδῶ· et Eustathius ad Dion. Perieg. 82. Μᾶρς Σαρ-

δινιενσε, quod alii *Africum* dixere: v. Apuleius de mundo p. 59. Elmenh.: ab Plut. V. Pompeli p. 632. extr. To. 1. vocatur τὸ περὶ Σαρδῶνα [πέλαγος]. Hesychius: Σαρδάν· νῆσος μεγάλη πλησίον Ἀφρικῆς. Certe etiam ab Luciani schol. p. 4. To. 2. Graevia Σαρδῶ vocatur νῆσος περὶ τὰς Ἡρακλείας σήλας.

34. Suidas: Σαρδάνος· ὁ ἀπὸ πόλεως Σάρδεων.

διανῶν ³⁵, appellari debebat, et hinc illuc nauigasse, dici possit; praesertim quum verba διαπλέων τὰ παρὰ τῆς ἐτέρας εἰς τὴν ἐτέραν satis declarent, in verbis τῆς Σάρδεων nomen insulae corruptum latere debere? Iam vero quum Gades fuerint insula extra fretum Herculeum, vt Cerne, adeo, vt Perseus recte dicatur mare inter vtramque insulam nauigasse, quum Gaditani ab Graecis non modo Γαδεῖται, et Γαδεῖται, et Γαδεῖται, sed etiam Γαδεῖται, nominati reperiantur ³⁶; quum Articulus ἡ requirat gentile nomen; quum vocabulum Σάρδεων parum differat a vocabulo Γαδεῖται certissimum putamus, pro καὶ τῆς Σάρδεων legendum esse καὶ τῆς Γαδεῖται. Certe sic omnia praecclare inter se cohaerere in illa Narratione reperientur: neque dubitandum videtur, quin hoc vitium pepererit librariorum error, qui ante de Κύρῳ insula cogitarint, cui Σαρδῶν insulam adiungendam putarent ³⁷.

V. Sed vt has locorum Palaephati correctiones, ex ingenio depromtas, arbitramur satis certas esse, atque idoneas: ita non nescimus, magnum numerum eiusdem generis coniecturarum allatum esse ab interpretibus libelli, aliisque viris doctis, semper, quae essent inanes et vanae. Cuius quidem leuitatis capssas referri debere videmus, vel ad sermonis Graeci inscitiam, vel ad negligentiam et incuriam, vel denique ad ineptom quendam, nimiumque, amorem certorum verborum, et formularum, quae vt omnibus librorum veterum locis legantur, quamuis inuito rerum, orationisque, ingenio, multos, qui optent, reperiri videas.

35. V. Stephanus Byzant. v. Σάρδεις.

36. V. Stephanus Byzant. in v. Γάδεια, et Eustathius ad Dionys. Perieg. 451.

37. Schol. Aristoph. ad A.

charnn. p. 266. Basil. Σαρδῶν γὰρ νῆσός ἐστι τῶν ἑπτὰ, σαρδῖς ἐξήκοντα Κύρῳ διέχουσα. Sic Σαρδῶν, et Κύρῳ, coniunguntur ab Dion. Perieg. 458.

videas. Eo loco ³⁸, quo Hercules, philosophus Tyrius, usus purpuræ inuentor, ambulasse, vel vehendum se lectica, aut vehiculo, curasse, dicitur in littore et ora Tyria, leguntur plerisque in libris haec verba, *ἑωριζόμενος γὰρ ἐπὶ τὸ παράλιον μέρος τῆς Τύρου πόλεως*. sed Dresigius, qui cum Tollo, et Galeo, putaret, verbum *ἑωριζόμενος*, quod sensu commodo careret, ferri non posse, edere ex ingenio ausus est *ποριζόμενος*. quum tamen haec correctio, non modo sit superuacanea, sed etiam vanissima. Nam primo verbum *ποριζέσθαι* a nemine scriptorum veterum vsquam vsurpatum reperitur, neque de ambulantes et euntibus, neque de iis, qui, vel lectica se, vel vehiculo, vehendos curant: sed non possumus ipsi verbis attribueret, vel potius affingere, notiones, quibus nostram emendandi libidinem adiuuari aliqua ex parte posse intellexerimus. Deinde *ἑωριζέσθαι* elegans verbum est, naturaeque ambulationis, atque itionis, etiam gestationis, accommodatissimum; cui quin ambulandi, et vehendi, notio olim subiecta fuerit, eo minus dubitari potest, quum in Hesychiano Glossario extet glossa, vndecunque etiam sit petita, haec, *ἑωρίζεται· μετεωρίζεται, ἀναπατεῖ*. Ii enim, qui eunt et ambulant, qui se gestari iubent, eleuant pedes, et totum quodammodo corpus attollunt a solo. *ἑωριζέσθαι* autem, quod verbo *ἀείρειν* originem debet suam ³⁹, proprie dici intellegitur de iis, qui, vel ipsi se eleuant, corpusque suum, et membra eius, attollant, vel eleuari se, et attolli, ab aliis iubeant. Neminem igitur fore putamus, quin videat facile, et sponte fateatur, nihil esse, quod *ἑωριζόμενος* permutetur verbo composito *μετεωρίζόμενος*, quod est in quibusdam libris, sed multo minus necessariam, et idoneam, iudicari debere illam Dresigiani ingenii coniecturam. Idem vero Dresigius peccauit

(E) 2 haud

38. Fab. 52, 1.

39. V. Etymolog. M. in vocab. *μετεωρισμός*.

hæc dubie etiam eo, quod illo Capite 40, quo demonstratur ab Fabularum interprete origo nominis *Ὠρίων*, edidit, auctoritatem Galei, ut videtur, sequutus, *ἔτως ὀνομασθεὶς διὰ τὸ ἐρῆσαι τὸ σπέρμα τῆς θεῆς*, quum in libris antiquis omnibus rectissime legatur *διὰ τὸ ἐρῆσαι ὥσπερ τῆς θεῆς*. Etenim auctoritas tot bonorum librorum repudiari temere, neque potest, neque debet, præsertim quum in Homeri quoque scholiis minoribus 41 verba sic scripta legantur: et auctor Fabulae ut ostenderet originem vocabuli *Ὠρίων*, necessario dixit *διὰ τὸ ἐρῆσαι* quo verbo declararetur idem, quod verbo *ἀποσπαραίνειν*, et apud Apollodorum 42 verbis *τὸν γόνον ἀφιέναι*. Sed quum hunc verbi significatum videret durum esse, et asperum, ut limaret quasi aliquid de ista asperitate, ut molliet quodammodo istam duritiem, particulam *ὥσπερ* addidit 43, quam ipsa verborum structura reliqua postponi verbo *ἐρῆσαι* iussit: quod sane non magis nouum videri debet, quam *θεὸς ὥς*, *θεοιδεὸς ὥς*, *ἀνγερος ὥς*, et alia eius generis plura, in Homeri poematis 44, et *ναρκῶσαν ὥσπερ*, atque *ὑπομαρφαίνειν ὥσπερ* in Iuliani, et Theophylacti Simocatæ, locis ab Abreschio 45 eandem in rem laudatis. Quae quidem ratio etsi iam per se certissima est, ut, quid recte dici contra possit, non reperiamus: tamen adiuuatur etiam et confirmatur iis, quae ab Isacio, vel Iohanne, Tzetza scripta sunt in Commentariis ad Lycophronis Cassandram 46. Quae quidem omnia si diligenter con-

40. Fab. 5, 4.

41. ad II. σ', 486.

42. Bibl. 2. p. 145.

43. Vid. Plato Phaedon.

38. 65. Xen. Cyrop. 4, 1. 7. 8, 2. 7.

44. Vid. Koenius ad Gregor. p. 210.

45. Dilucc. Thucydid. p. 771.

46. p. 57. Bas. p. 60. Steph.

ὥς δὲ παιδίον αὐτῷ γενέσθαι
 ᾗτήσατο, οἱ τρεῖς τῇ τῆ σφα-
 γέντος βοδὸς βύρση ἐνέρησαν,
 καὶ ἐξ αὐτῆς ὁ Ὠρίων ἐγένε-
 το, ὠρίων κληθεὶς, ὥς ἐκ τῶν
 ἔρων τεχθεὶς. Etymol. M.
 v. Ὠρίων· Ὠρίων, κατὰ τρο-
 πὴν τῆς εἰς ὦ· ἀπὸ τῶν ἔ-
 ρων. Ἐστὶν ἀπὸ ἰσορίας· ἀπὸ
 τῆ

considerasset Dresigius: profecto vidisset, verba sana nullam ingenii medicinam poscere. Et quum Palaephatus in ea fuerit sententia, in qua alios veterum plures fuisse ipse Strabo 47, et Hesychius, auctores sunt, ut Columnas Herculis crederet insulas esse, non montes, easque tres, quae imperio Phorcynis primo, deinde Phorcynidum, paruerint: facile apparet, Aldum in Fabula Phorcydis 48 e suo Codice rectissime edidisse *ἔτος ὁ Φόρκυν ἐβασίλευσε τῶν Ἡρακλείων σήλων*, neque adeo eundem Dresigium debuisse se auctoritate Rauiani Codicis adduci sinere, ut ederet *ἔτος ὁ Φόρκυν ἐβασίλευσε τῶν νήσων τῶν ἔξω Ἡρακλείων σήλων*. Sed tertii quoque generis correctionum vanarum exempla afferemus, quarum fontem esse demonstrauimus ineptam quandam certorum verborum admirationem, quae, ubi in libris scriptoris alicuius, tibi multis de causis praecipue cari, legeris, aliis etiam scriptoribus reddi optes, re, et tota vicinia, quamuis reclamantibus. Apud Platonem in Parmenide 49 legitur *πῶς χρὴ τηλικόνδε ὄντα διανεῦσαι τοιοῦτόν τε, καὶ τοσούτον, πέλαγος λόγων*: quae fuit certe Ficini librorum lectio, etiam ab Serrano reddita, et a Stephano probata. nunc enim in editis libris pro *πέλαγος* extat *πληθος*, verbum satis frigidum. Sed formulae *διανεῦσαι πέλαγος* elegantia et venustate Valquenarius, vir summus, ita capi se passus est, ut etiam apud Palaephatum eo Capite 50, quo Fabula Europae explicatur, pro *πέλαγος διανήξασθαι* reponendum *πέλαγος διανεῦσαι* censeret 51, quod in Codicibus Britan-

(E) 3

cis

τῷ ἐρῆσαι τὰς θὰς ἐν τῇ βύρσῃ, καὶ γενέσθαι αὐτόν.

47. 3. p. 170. Casaub. Hesychius: *Στήλας δισώμης, τινὲς τὰς Ἡρακλείας σήλας· ἐνιοὶ αὐτὰς νήσους Φασίν· — καὶ οἱ μὲν δύο, οἱ δὲ τρεῖς —*. Add. Vossius ad Scylacis Periplusum p. 1. f. Gron.

48. Fab. 32, 6.

49. C. 9.: ubi v. notae nostrae. Cod. Tub. ibi legit *διανῦσαι*.

50. Fab. 16, 2.

51. ad Eurip. Hippolyt. 822. p. 252.

cis scriptum reperiretur *πέλαγος διανύσαι*. Iam etsi libenter concedimus, *διανήξασθαι* e glossemate ortum esse: tamen nullo modo nobis persuaderi vnquam sinemus, vt verbum *διανύσαι* commutandum verbo *διανεῦσαι* esse putemus. Neque enim tantum alio huius libelli loco ⁵² inserta leguntur in Arundeliano Codice, et Mosquensi, haec verba *πρὸ τριῶν, ἢ τεττάρων, ἡμερῶν τὸ πᾶν διανύσαντες*: sed etiam apud Hesiodum ⁵³ est *πολὺν διὰ πόντον ἀνύσας*, et apud auctorem Hymni in Mercurium ⁵⁴ *πολὺν διὰ χῶρον ἀνύσας*, et apud Oppianum ⁵⁵ *ὅτ' ἐξανύσσει θάλασσαν*. His igitur, aliisque huiusmodi, ex locis quis non intellegit, quanta sit verbi *διανύσαι* elegantia hoc in genere, quanta venustas? Quo quidem eius vsu vnice illustrari posse putamus formulam *τελεῖν τὰς πόλεις*, qua Matthaeus ⁵⁶ vtitur de iis, qui obeunt, et peragrant, vrbes atque opida. Sed idem ille vir doctissimus quia apud Apollodorum ⁵⁷ legerat, Glaucum, Minois filium, cecidisse in dolium melle plenum, ibique suffocatum periisse: idcirco apud Palaephatum quoque eo loco ⁵⁸, quo Glaucus dicitur mortuus esse *ἐπὶ τῷ μέλιτι*, reponendum esse *ἐν πίθῳ μέλιτος* opinabatur ⁵⁹. At non cogitasse tum videtur vir summus, repugnare hanc rationem toti Palaephati orationi, et consilio. Mythicus enim, interpretaturus Glauci Fabalam sic, vt persuaderet lectoribus, eum hausto melle mortuum esse, consulto legit verba eiusmodi, quae accommodari huic interpretationi plane possent. Qua ipsa de caussa repudiandam appar-

ret

52. Fab. 31, 1.

53. *Erg.* 635.

54. v. 337.

55. Cynegg. 2, 219.

56. C. 10, 23.

57. 3. p. 167. *Γλαῦκος — εἰς μέλιτος πίθον πρῶτον ἀπέθανεν*. Hygin. fab. 136. *Glauc-**cus, Minois et Pasiphae filius, dum ludit pila, cecidit in dolium melle plenum.*

— 58. Fab. 27, 1.

59. Diatrib. in Eurip. dramatum perditorum reliquias p. 201.

ret lectionem alteram ἐν τῷ μέλιτι, quae erat in Codicibus Britannicis.

VI. Vt autem vanitas earum correctionum, quas notauimus haecenas, adeo clara et perspicua videtur, vt nemo dubitare de ea recte possit: ita Codices antiqui etiam in hoc libello nonnunquam exhibent duas vnius loci lectiones, et legibus linguae, et vsui loquendi Palaephathi, adeo conuenientes, vt, vtram in partem decernendum, vtra scriptura praeferenda, sit, nescias. Nam in Cerberi quidem Fabula ⁶⁰ Eurystheus dicitur Herculem misisse ἐπὶ ζήτησιν τῶ κυνός, vt legitur in libris antiquis omnibus, exceptis Codicibus duobus, Tolliano et Mosquensi, in quibus erat κατὰ ζήτησιν τῶ κυνός. Vtra vero harum lectionum ab ipsa Palaephathi manu profecta sit, non liquet. Etenim, non modo Praepositione ἐπὶ Palaephathus ita vtitur, vt finem et consilium, quo quid sit, significet ⁶¹, sed etiam particula κατὰ, vt in Fabula Ius ⁶² κατὰ ζήτησιν ἐξιόντες et quidem, vt videtur, ipsius Homeri auctoritate. Certe verba Vlyssis ⁶³ ἦλθον Τειρεσίῳ κατὰ χρέος mihi semper ita explicanda visa sunt *veni consulendi Tirestiae causa*, vt verba, εἴ τινα βελὴν εἴποι, ὅπως Ἰθάκην ἐς παιπαλόεσσας ἰκοίμην, interpretationis superiorum verborum causa adiecta essent: quae sane vtitissima optimis scriptoribus, atque adeo ipsi Homero ⁶⁴, ratio est. Quidni enim χρέος dictum Graecis de *vaticinio* putemus, quum, et Eustathius *) veteres Grammaticos memoret, qui illud acceperint de *χρησμοδόματι*, et, verbum

(E) 4. χρέω,

60. Fab. 40, 4.

61. Vid. Fab. 19, I. 25, 3.
31, 6. f.

62. Fab. 43, 4. Sic Pausan. 5, 25. p. 445. Kuhn. κατὰ ζήτησιν ἐκπλεύσαντες τῆς

Εὐρώπης. add. Heliod. I. p.

35. 2. p. 72. 81. 5. p. 216.
6. p. 267. — Comel.

63. Odyf. λ', 478.

64. Vid. Odyf. α', 94. 281. f.

*) ad Odyf. λ', 478. p. 1695, 7. f. Rom.

χρεῖω, pro quo etiam χρεῖω dicitur, idem significare reperiatur, quod προφητεύω ⁶⁵? Accedit, quod eo loco, quo poëta Vlysssem retulisse vxori ait labores suos ⁶⁶, cum narrantem facit, Ἦδ' ὡς Ἀΐδεω δόμον ἤλυθεν εὐρώεντα, Ψυχῇ χρησόμενος Θηβαίης Τειρεσίας —, h. e. Τειρεσίαο κατὰ χρεός. Atque huius generis loci nonnulli alii occurrent lectoribus Fabularum Palaephathi: quos tamen nobis attingere nunc non placet, cum quia eos notauimus in animaduersionibus ad illum libellum, tum quia omnino finem facere constituimus interpretationi huius Fabularum corpusculi, neque angustiae Prolusionis stylum euagari longius patiuntur.

VII. Satisfecisse enim nos speramus consilio, quod in edendis his libellis sequuti sumus. Edidimus enim eos maxime vestra causâ, Discipuli carissimi, vt, non solum infingerentur ista repetitione mentibus vestris praecepta, priuatum a nobis hoc in genere proposita, sed vt, vel excitaretur vehementius in animis vestris, vel aleretur certius, amor, et admiratio, Graecarum litterarum; vt, si videretis, quot, quantisque, copiis instructi esse ii deberent, qui intellegere, et interpretari, libellum aliquem breuiculum vellent, iudicare possetis eo facilius, quam late paterent regiones scientiae sermonis Graeci, quantis opibus, quam firmis auxiliis, opus esset ei, qui partes interpretis maiorum, grauiorumque, librorum suscipere, et bene agere, cuperet, huiusque rei cogitatione assidua impelleremini eo acrius statim ab ineunte adulescentia ad comparandum, conquirendumque, summo studio omne iustae interpretationis instrumentum. Graue, fateor, onus suscipiendum est, multi labores subeundi, ingentes molestiae ferendae: magna industriae, et diligentiae, constantia, magna exercita-

65. Hesychius: Χρέοντες. 79. H. in Apol. 132. 253. προφητεύοντες. V. Odyf. 9', 293.

66. Odyf. ψ', 322. f.

ercitationis assiduitate, opus est, quae se nullo vnquam modo debilitari, frangique, patiatur. Sed omnem oneris molestiam, omnem laborum vim, longissime vobis, mihi credite, superat copia, et dulcedo, fructuum, quos hauriri e libris Graecorum veterum posse videtis. Namque iis diligenter legendis, recteque enarrandis, ingentes omnis sapientiae humanae opes collegetis: sed cum his sapientiae copiis sponte veniet in animos vestros incredibile quoddam omnis virtutis studium: haec virtutis exercitatio vobis omnium bonorum fauorem, in primisque dei beniuolentiam, conciliabit: haec beniuolentiae diuinae conscientia otium animis vestris perpetuum, pacem liquidam, praestabit, qua censetur eius felicitatis summa, ad quam omnes tendere videmus, paucissimos peruenire miramur.

VIII. Quod vt intellexeretis planius, vobisque persuaderetis firmitus, vos neque proximo anno vlla re alia posse perfectam, absolutamque, felicitatem consequi, quam sapientiae, et virtutis, studio: iussimus Commilitonem vestrum, *Ioh. Aenotheum Marnesium*, Limbaco Nariscum, Adulescentem sapientiae cupidissimum, et virtutis studiosissimum, cras Oratiuncula Latina docere, *sapientiam, et virtutem, esse solas hominum diuitias, graui hoc, suauisque, nomine dignas*. Cui quidem familiae vestrae ducis Orationi non solum intereritis frequentes, sed ab auditione eius ita discedetis, vt in ore semper habeatis posthac sanctissimam illam Solonis vocem, qua sibi barbarus virtutis grauem, plenamque, maiestatem, aliis pecuniae splendorem inanem, et leuem, relinqui iubebat; vt in pectore gessetis pulcherrimam illam Socratis morientis imaginem, qui iudices, quorum sententiis damnatus erat, vehementer rogabat, atque adeo orabat, vt, si viderent, filios suos pecuniae cupidiores esse, quam sapientiae, et virtutis, hanc eorum peruersitatem corrigerent, huic eorum stultitiae ita

(E) 5

fuc-

succurrerent, vt eos admonerent grauit̃, quo in viam redirent, virtutemque, et sapientiam, anteponerent rebus omnibus. Et profecto auri amor, pecuniae sitis, cogit homines humilia, et ieiuna, et sordida, consectari, cupiditatibus turpissimis, et foedissimis, seruire, memoriamque eorum vna cum vita extinguit: sed sapientiae, et virtutis, studium nos iubet ad excelsa, et ardua, et decora, contendere, libidinibus ferocibus, effrenibusque, imperare, et nomina nostra immortalitati tradit: adeo, vt, quem admodum pecuniae pallida, et tremebunda, cupiditas certissimum habetur animi humilis, abiectique, signum, ita acer, constansque, sapientiae, et virtutis, amor grauissimum debeat erectae, excelsaeque, mentis argumentum putari. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana a. d. III. Kal. Ianuarias A. C. MDCC LXXI

ORATIO

7411

77

O R A T I O
DE IOACHIMO CAMERARIO
GRAMMATICO PARITER ATQVE
THEOLOGO EXCELLENTE
L I P S I A E
IN AVDITORIO COLLEGII
PRINCIPALIS MAI

A. D. IIII. KAL. MAIAS A. C. CIOIOCCCLXII
PROFES. LITT. HVMAN. EXTRAORDIN
ADEVNDAE CAVSSA

H A B I T A

A b

IOH. FRIDER. FISCHERO
COBVRGENSI



MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR
 PHILOSOPHICI ORDINIS
 SPECTABILIS DECANE
 DIVINARVM HVMANARVMQVE
 LITTERARVM
 DOCTORES ET MAGISTRI
 CELEBERRIMI EXCELLENTISSIMI CLARISSIMI
 COMMILITONES GENERE INGENIO
 VIRTUTE PRAESTANTISSIMI
 CARISSIMI

Quotiescunque ego Franciae, patriae meae, recordor, Auditores; soleo autem illius, quo fertur, et rapitur, amoris impetu in patriam quisque suam, recordari quam saepissime: toties ultro semet offert menti meae, nec vocata occurrit, imago pulcherrima Papebergae, parui, ut nostis, nec magni valde, verum perquam amoëni, ad Rednesum amnem, neque ignobilis, opidi. Cuius quidem imaginis contemplatione tacita quantae, quamque mirabiles, in animo meo laetitiae excitentur; quantis, quamque dulcibus, gaudiorum, non tam riuus, ut ita dicam, quam fluminibus, non tam irrigentur, quam inundentur, pectus meum, artusque omnes, dici a me, et exprimi verbis, nullo modo potest. Etenim solers, et diligens, naturae prouidentia ingenia hominum sic format, et fingit, cupiditatesque eorundem, ac studia, tanquam triremium impetus rectoris ars, ita moderatur, et gubernat, ut, qui magni, excelsique, laudem animi appetant, et adspirent, ab iis, neque res vlllo tempore alias, nisi in maxime utiles, et arduas, et difficiles, suscipi patiat, neque laborum, et molestiarum, periculorumque, mercedem desiderari aliam vllam, praeter

praeter gloriae, laudisque, immortalitatem, iubeat, quae detracta, et sublata, necesse sit ex animis hominum omnem magnitudinis, et altitudinis, sensum funditus tolli, radicatusque extirpari. Themistocles quidem, Atheniensium summus vir, nullum acroama, nullius vocem, libentius a se andiri professus est libere ¹, quam eius, a quo virtutis suae praestantia optime praedicaretur. Cyrus autem ille superior quum auxilio Medis aduersus ciuitatem Assyriorum proficiscens ordines militum cohortaretur: vix verba reperire idonea potuit ², quorum pondere, et grauitate, significaret, declararetque, magnitudinem gaudii, quod animos omnium tanta cupiditate laudis incensos, inflammatosque, videret, vt perennem, aeternumque, gloriae splendorem, atque vbertatem, tenuitati commodorum, et obscuritati praemiorum, aliorum omnium breui, et temporariae, praeferre viderentur: quae deberet pulcherrima existimari possessio, quae imperatorem, non tam iuberet, quam cogeret, praecipere animo victoriae dignitatem, laureaue amplitudinem. Quid Tiberium Caesarem commemorem vobis, Auditores? qui, quum vltior Hispania ei, matrique eius, templum vellet, Asianorum auctoritate, exemploque, dedicare, contempsisse perhibetur ³, et reiecisset, vanitatem ipsius honoris, sociosque, ac ciues, vehementer rogasse, vt, si ipse fatis concessisset, memoriam nominis ipsius, rerumque gestarum, recolerent saepius inter se, crebrisque sermonibus vsurparent: quae haberentur omnium splendidissima delubra, mansurae effigies. Quid vero Miltiadis, quid Deciorum, quid Scipionum, fortitudinem, et constantiam, sequutam putatis? Quid Cimonis liberalitati, quid iustitiae Aristidis, quid Fabricii continentiae, quid bonitati Phocionis, propositum fuisse existimatis? Quid Ciceronis consulis mirificam vigilantiam, totque inimicitarum, periculorum, insidiarum, mortis denique ipsius, incredibilem contemtionem, spectasse iudicatis? Quorsum creditis tot aliorum innumerabiles virtutes, omnibus in ciuitatibus, suos direxisse cursus? Certe fides annalium, voxque,

que, grauis clamat, omnes, neglecta, praetermissaque, aliorum emolumentorum vanitate, et fallacia, contendisse summo studio, et properasse, ad propriam, certamque, gloriae, et laudis, possessionem. Facetum illum in omni oratione simulatorem mihi quidem nunquam patiar persuaderi, Auditores, copiam doctrinae suae, et sapientiae, gratis, et cum summo vitae periculo, facturum fuisse tantae multitudini discipulorum, qui diuitiis, opibusque, in primis florarent, quum ipse in paupertate maxima, omniumque propemodum rerum inopia, iaceret, nisi perpetuitatem laudis, et constantiam, omnium saeculorum cogitatione laetus, certusque, praecepisset. Vosmet ipsos, venerandi litterarum hac in vrbe Doctores et Magistri; quid enim exemplis vtar alienis, et ab nostra memoria remotis, quum propinqua suppetant, et domestica? vos ergo ipsos non puto fuisse tanto opere enisuros ab ineunte aetate, vt tam copiosam, tam vberem, tamque absolutam, doctrinam consequeremini, omnique virtutis in genere tam longe aliis excelleretis: non puto, vos fuisse omnes cogitationes, curas omnes, omnem operam, eo collaturos, vt vigerent tantopere studia artium optimarum in hac ciuitate, nisi grata, memorque, meritorum posteritas virtuti vestrae praeconia ostentaret magna, atque perpetua.

Iam quum voluntati naturae, et imperio, repugnare, nefas, omnium iudicio, impiumque, ponatur, Auditores; quum gloria, et laus, habeantur suauissima vitae humanae quasi condimenta, vt, nisi succo eorum dulci mitigetur acerba laborum asperitas, nemo eam degustare audeat, et attingere, nedum exhaurire et deuorare; quum, vt maximo quisque reperitur esse animo, ita exoptet maxime, et aueat, virtutem suam praedicari voce posterorum; quum nosmet ipsi eandem studiis nostris mercedem tribui, idem contingere praemium, cupiamus: nonne putemus consulendum esse omni modo memoriae eorum, qui, non modo viui sermonibus patefecerint aditum, sed etiam post mortem,

tem, litterarum monumentis, viam muniant, omnibus ad cognitionem rerum diuinarum, humanarumque, accuratam; qui ingenia hominum suae aetatis sordibus barbariei teterimis oblita, tenebrisque inscitiae crassis circumfusa, discussa caligine, illustrarint clarissima scientiae luce, et, squalore eluto, blandissimis, ut ita dicam, elegantiae, et humanitatis, coloribus imbuerint, ornauerintque; qui, et auctoritate praeceptorum, et doctrinae suae exemplo, praeceptis omnibus efficaciore, declarauerint, quam archis inter se vinculis continerentur omnes liberales disciplinae, et quam consentaneum esset, quam pium, quam dignum nomine et doctrina Christiani, conferre scientiam omnium rerum ad vnam librorum diuinorum intellegentiam? Quis vero reperietur tam cupidus, tamque ieiunus, qui abnuat, et neget, ex numero illo Ioachimum esse Camerarium, summum virum, cuius vel sola nominis mentio, et cogitatio, maximam iniicere omnibus admirationem, et posse, et debere, videatur? Ab eo enim cum paucis aliis sepultas dudum, et eiectas in exilium, litteras in patriam, pristinaeque sedes, reuocatas esse, et ab inferis excitatas, accepimus: ab eo hic locus, hic suggestus, haec subsellia, hi parietes, laetantur, et clamant, in vrbe nostra, ut omnes politioris humanitatis partes, ita Graecas maxime, Latinaeque, litteras explicatas esse, et traditas, summo studio: ab eo satis constat conscriptum esse, atque emissum, ingentem librorum omnis ferme generis numerum, quibus erudirentur ingenia, acuerenturque ad omnis verae elegantiae fensum; ut, si Camerarius non fuisset, humanitatis litterae fortassis non vixissent tamdiu in Germania; fortassis nunquam venissent in aetatem apud Saxonas; fortassis nunquam tanto amatorum, affectatorumque, cupidorum choro stipatae floruisent in vrbe nostra. Qua quidem in re ego saepenumero soleo admirari, Auditores, et suspicere, tacitus singularem dei sapientiam, quae animo Camerarii iusserit, non tam inferi, quam innasce, tantum Lipsiae aonem, quo eum nostis, Christo. Carolouici maxime, Pe. Mosel.

Mosellani, clarissimi viri, discipuli, summi viri, auctoritate ⁵, et consilio diuini Melanthonis ⁶, a Mauricio principe, Henrici patris successore, Tubinga arcessitum venisse ⁷, vt mallet hic, aetatem, agere liber in paupertate, sed in litteris cum dignitate, quam in patria opibus, honoribusque, augeri assentator principum blandus cum dedecore ⁸. Nam profecto admodum suaue est, et vehementer iucundum, profiteri litteras in ea schola, in qua, non tam accipi, quam arripi, appareat praecepta auidissimis omnium auribus, memoriaeque septis diligenter contineri, fideliterque custodiri; in qua ratio disciplinae omnis bene constituta, et temperata, cernatur; in qua labores tui, et studia, amore, fide, consilio, etiam opera, aliorum adiuuentur, subleuenturque. At in eam venire urbem, in qua disciplina lapsa iaceat, propemodumque extincta; in qua doctores litterarum plerique ipsi humanitatem, elegantiamque, omnem oderint, et reiiciant, barbariei monstrum amplexentur, et ament, etiam potentia floreant; stultitiae enim, praesertim vernaculae, obscuritas sterilis solet fere plures inuenire sectatores, quam sapientiae splendor fecundus; in qua omnes anguli pleni conspiciantur suspicionum, insidiarum, inuidiae, simulationis, odii, fraudis, contumaciae, malitiae: et tamen omnes difficultates, impedimenta omnia, tollere, et superare, contemtisque, ac spretis, omnium odiis, et inimiciis, bellum indicere barbariei, et inferre, opesque eius frangere, et euertere funditus: hoc vero inuitatae cuiusdam sapientiae debet, inauditaeque fortitudinis, duci. Quarum virtutum laus quum debeat, sine vlla controuersia, Camerario; inciderat enim hic in eam, quam dixi, rerum omnium confusionem, et perturbationem ⁹: maligni profecto possemus videri, iniuriique in merita viri immortalis, nisi virtutes eius praedicaremus palam ¹⁰, aliisque magnitudinem earum, tanquam e specula lumen, proponeremus, quod sequi conniterentur nobiscum. Cuius quidem grati, iucundique, officii partes puto praecipue ad me pertinere, popularem Camerarii. Si

(F)

enim

enim Arpinates de rebus gestis Marii, et Ciceronis vtriusque, municipum suorum, tanto opere gloriati sunt¹¹: intellegetis facile, Auditores, quid mihi videatur faciundum. Nam illorum quidem virtutes, quamvis magnae, tamen Romanae tantum civitati ad tempus perbreue profuerunt, quum Camerarii studia profuerint tamdiu omnibus ubique litteris, sintque, dum homines erunt, profutura plurimum. Atque hic est ille fons, hoc est caput illud, Auditores, gaudiorum, laetitiarumque, quibus ante commemoravi animum meum, non tam perfundi, quam inundari, quoties memoria eum, et imago, Papebergae, patriae Camerarii, subiret. Dabitur igitur, et Camerarii memoriae, et beniuolentiae in me vestrae, hoc, ut me de doctrina viri summi breuiter dicentem audiatis attente. Constitui autem docere primum, fuisse in Camerario omnes egregii Grammatici numeros, et partes: deinde eundem nec ab optimi Theologi laude afuisse exponam. Ita enim spero a me posse omnes viri magni virtutes attingi, hoc est, laudari, quae sint veluti regula et norma, ad quam dirigatur posthac omnium institutorum meorum, studiorumque, cursus, et ratio.

Neminem enim ego arbitror facile reperiri vspiam, Auditores, qui eat inficias, cuius mentem, animumque, natura faulrix ornauerit magnis, praeclarisque, facultatibus, eum magno, vereque diuino, beneficio affectum videri. Sed idem ego haud scio an multo maius, praestantiusque, beneficium existimari debeat, si quis a puero nanciscatur doctores, et magistros, quorum praeceptis, diligentia, fide, semina bonorum per animum sparsa foueantur, diffundantur, eliciantur, augeantur denique ita, ut sua sponte maturitatem assequi, et copiam fructuum optimorum, dulcissimorumque, ingentem fundere, valeant. Neque enim raro accidere videmus, et querimur, tristes, ut, vel stultitia praeceptorum, et stupore, vel etiam negligentia, et leuitate, vires ingenii discipulorum tantopere debilitentur, franganturque, ut reuocari, et recreari, nullo vnquam modo possint: ut nec hac de
caussa

caussa fidis, doctisque, magistris debita gratia haberi, nedum referri, posse videatur. Cuius quidem beneficii diuinam excellentiam, et singularem magnitudinem, Camerarius agnouit eo magis, et eo libentius praedicauit, quo praestantiores, fidelioresque, pueritiae ipsius, et adulescentiae, contingerant magistri. Helti enim, Vorhemensis, disciplinam non ignoratis, Auditores, et ob egregiam viri eruditionem, et propter eximiam sanctitatem, pietatemque, quam ipse Lutherus, quantus, et quam grauis, vir! maximis extulit laudibus¹²; Helti igitur disciplinam constat summo tum studio, et cupiditate, appetitam esse ab omnibus, qui vellent suauitatem, dulcedinemque, litterarum, quae nuper a sordibus purgari coeptae essent, non tam degustare leuiter, quam penitus imbibere, vt, qui Heltum non concupiscerent cognoscere, hi aequae inhumani, et faxei, et ferrei, iudicarentur, ac Plinii aetate ii, qui Isaeum, rhetorem, non audirent¹³. Quo quidem in numero reperimus fuisse¹⁴, cum fratre Ioa-chimo, Georgium, Ascaniae principem, quem, vt omnino optimis artibus politum, limatumque, nituisse, ita singulari, vt tum erant tempora, Hebraicarum litterarum scientia floruisse¹⁵, admiramur non magis, quam gaudemus. Solebant enim iis temporibus principum quoque filii interesse scholis eorum, qui traderent praecepta artium bonarum, non animi causa, nec tantum propterea, vt dicerentur operam dedisse magistris, sed vt opes sapientiae, sicut humanae; ita vel maxime diuinae, collegerent, neque solum collegerent, sed collectas etiam augerent sponte, et exaggerarent, vt admoti salutis publicae gubernaculis, valerent ipsi de rebus, vel ad religionis, vel ad reipublicae, summam pertinentibus, iudicare, et statuere, neque aliorum iudiciis cupidis saepe, et vanis, stare cogerentur. Helto igitur illi traditus est in disciplinam Camerarius puer; attigerat enim annum aetatis tertium decimum; a matre; pater enim mortuus erat; optima, et sanctissima, matrona¹⁶. Attulit autem discipulus Papeberga Lipsiam ad magistrum tantam, tamque insatiabilem, litterarum omnium cupiditatem, signum,

vt Socrates, auctor bonus in primis, existimauit *), excellentis ingenii certissimum; vt, sine facultate vtriusque linguae idonea, sapientiam, neque existere villo modo, neque sustineri, et seruari, posse putaret; vt praestantiam artium bonarum, et vtilitatem, splendori omnium honorum, diuitiarumque, etiam malorum, periculorumque, omnium terrore, et molestiae, anteponendam censeret ¹⁷. Pugnavit autem, contenditque, discipuli discendi, non tam cupiditas, quam aviditas, cum diligentia, et fide, magistri quinque propemodum annos ¹⁸, vt haud proclive intellectu videretur, vter tandem, magister, an discipulus, cessurus esset, vter esset e certamine honesto discessurus superior: atque animi vtriusque, pietatis vinculo, ita copulati fuere, et coniuncti, vt Helius ab Camerario coleretur, tanquam parens, Camerarius ab Helio, vt filius, amaretur. Sed vt Ioachimus Georgio vsus est Latinarum maxime litterarum doctore, et magistro, ita linguae Graecae praecepta hausta ab eo esse reperio ex ore Mosellani quoque, Mesleri, et in primis Ricardi Croci, a quo primo accepimus Graecas litteras in Germania esse ita traditas, vt appareret, eas, non solum perdisci, posse penitus, sed ad cognoscendas etiam omnes disciplinas liberales valere quam plurimum ¹⁹. Huic magistrorum Camerarii egregiorum numero accessit Erfordiae, eo enim semet Lipsia, exacto quinquennio, contulerat ²⁰, praeter alios plures, Eobanus ille Hessus; poetarum Latinorum aetatis suae in Germania facile princeps. Iam vero velim ipsi existimetis, Auditores, quantas doctrinae copias, et opes, necesse sit extitisse, atque effloruisse, e tanta, tamque singulari, eruditione, diligentia, fide, praeceptorum, et e tanta, tamque insatiabili, discendi cupiditate, cura, assiduitate, discipuli.

Eminuit autem in Camerario, eluxitque, tam accurata, tam exquisita, tam rara, tam incredibilis, vtriusque linguae scientia, quam, et libris plurimis scribendis, et interpretandis scriptorum antiquorum monumentis, ita probavit, omnium

omnium intelligentium iudicio, et sententia, ut valde dubium videatur, an repertus sit quisquam illa aetate, qui ei par poni in facultate istarum litterarum recte posset. Et in Latina quidem eius oratione admirabilis quaedam, paeneque inimitabilis, facilitas cernitur, gratia, et suauitas, natiua, nec quaesita, lepos; non infacetus, sed politus: in delectu verborum elegans comparet, non superbum, et male delicatum, fastidium: in sententiis tanta grauitas viget, et venustas: in structura, et compositione, verborum nulla asperitas inuenitur, salebrae nullae, sed tanta leuitas conspicitur, decor tantus, ut facile agnoscat quisque diligentem imitatore, et aemulum felicem, summi Ciceronis: cuius epistolas omnis humanitatis, veraeque elegantiae, fontes, ut incorruptos, ita vberrimos, studiosissime lectitatas ab Camerario esse, neque lectitatas tantum, sed memoriae mandatas, Hesti praeceptoris auctoritate et hortatu, nouimus ²¹. Quid de cura diligenti dicam, qua libros principum Latinae linguae auctorum, vel explicatos ab eo, vel certe ita editos, constat, ut ei Critici quoque acuminis, atque solertiae summae, laudem summo iure tribuendam appareat? Plautus quidem, et Macrobius, si ab inferis existerent, Auditores, non dubito, quin grati essent maximam sui nitoris partem Camerarii ingenio, et diligentiae, acceptam relaturi ²²: et Cicero, Lucanus, Caesar, alii, si loqui possent, nec se ab eo neglectos, praetermissosque, haud inuiti essent gloriaturi ²³. Graecarum autem litterarum scientiam Camerarii, et in eas merita, nescio ipse, quibus extollam laudibus, Auditores. Tantam enim sentio esse eorum, et multitudinem, et excellentiam ²⁴), ut, praeter magnum illum Henricum Stephanum, post instauratas, et renouatas, litteras, neminem vixisse credam, qui comparari cum Camerario posset; ut facile intellegatur, quare conquestus sit tantopere vir grauissimus de incredibili peruersitate eorum, qui ad maioris disciplinae, vel potius opificii, sic enim appellare Camerarius solebat ²⁵, professionem euecti, Graecarum litterarum tenuitatem scilicet superbi despicerent, et aspernarentur. Homerus ²⁶ quidem,

(F) 3

et

et Thucydides ²⁶ cum suis enarratoribus, Herodotus ²⁷, Sophocles ²⁸, Theognis ²⁹, etiam Aristoteles ³⁰, Xenophon ³¹, Aphthonius, Theon ³², et alii ³³, se comtos egregie, et ornatos, a Camerario, Latinaeque linguae luce illustratos, testantur, et gaudent. Epistolae vero, versiculi, libri etiam ³⁴, quos lingua Graeca compositos reliquit sane haud paucos, nonne habentur maxima, et grauissima, documenta nouae cuiusdam, et inusitatae, Graecarum litterarum cognitionis? Fuit enim hoc in moribus positum, et in institutis, temporum illorum, vt, qui laudem elegantis, egregiaeque, doctrinae consequi, et tueri, vellent, ii lingua Graeca ita vterentur, vt Latina. Iam quanta putatis, Auditores, lectionis diligentia, et studio, quanta exercitationis assiduitate, et constantia, quanta laboris patientia, et pertinacia, opus fuisse ad conquirendas copias sermonis vtriusque tam multas, et tam firmas? praesertim quum careret aetas illa omnibus iis adminiculis, quibus nostri saeculi felicitas etiam abundat, sed ita abundat, vt ex ista ipsa abundantia, et copia, manare, redundareque, videatur hoc incommodi, et mali, vt languescant studia bonarum litterarum, consenescantque.

Consequutus autem erat Camerarius eximia illa Graecae, Latinaeque, linguae facultate non modo tantam auctoritatem apud omnes, et famam, vt librarii, qui tum yellent scriptoris alicuius, siue Graeci, siue Latini, libros, sumtu suo, emittere, hi eum, tanquam Iouem Dodonaeum, confulerent, et ab nomine eius, atque epistolis, peterent operae suae, et laboris, commendationem, vt Basileae Oporini, et Heruagii ³⁵, Voegolini Lipsiae; verum ceperat etiam ex eadem scientia hunc fructum, multo, et dulciorem ad sensum, et vberiore ad laudem, vt cognitas, perceptasque, teneret fere omnes doctrinae liberalis partes. Rhetorices quidem, muneris illius, ornamentique, hominum diuini, vim, et naturam, quin penitus pernouerit, quis dubitare sustineat? Neque enim solum praecepta artis, Aphthonii, Theo-

Theonisque, exemplo, eleganter complexus est litteris ³⁶; sed orationes etiam, quarum conscripsit, ediditque, non paucas ³⁷, satis, superque, clamant, eum praeclare didicisse facultatis oratoriae copias dirigere ad normam, regulamque, praeceptorum. Et quemadmodum, vel e breuissima Ciceronis epistola ingenium oratoris elucet excellens, et copiosum: ita e Camerarii quoque epistolis ³⁸ cognoscitur facile, eum, non tam artis adiumento, atque auxilio, quam naturae beneficio, atque munere, oratorem exitisse. Tam eleganter scriptae sunt omnes, ut Musae ipsae Latine loqui videantur! Sed quum nosset Camerarius, etiam optima, et feracissima, ingenia mirifice ali, sustentarique, dulci, et salubri, sapientiae pabulo: peragrandas sibi, magni Aristotelis, Theophrastique, auctoritate, et empetiendas, alacri animo censuit regiones, spatiorumque patentium aequora, philosophiae, non exilis quidem istius, et horridae, quae tum vigebat, et colebatur, parentis turbatum, contentionumque, ut inanium, ita acerrimarum, secundae, quam stultitiae rectius, quam sapientiae, et obmutescendi verius, quam dicendi, magistram dixeris; sed nitidae illius, et plenae, pacis, concordiaeque, amicae, veraeque eloquentiae, et genitricis parentisque felicitis, et altericis, educatricisque, diligentis. Absolvit autem curriculum istud ita, ut id, non angustiis unius, duorumue, annorum cancellis, qui ridiculus est, peruersusque, multorum mos, sed amplo totius vitae spatio, circumscriberet: non compegit iuuenis, sermones vulgi imperiti captans, ybertatem, et copiam, uniuersae philosophiae in carcerem, et angustias, corpusculi levis, tanquam mancipium nequam in vincula ergastuli, sed, libris philosophorum veterum, et Graecorum, et Latinorum, diligenter lectitatis, exemplo eorum, singulos disciplinae praestantissimae locos magno studio pertractavit ³⁹; non contriuit stultus operam, otiumque bonum, frustra in quaestionibus obscuris, quae nemini prodesse quidquam, plurimum obessent cunctis, sed studium, et tempus, cum diuino-Socrate prudens collocavit in rebus iis, quibus vita, moresque, omnium

hominum adiuuarentur, emendarenturque ⁴⁰; quibus via muniretur ad artem ciuitatis bene regendae ⁴¹, et ad solertiam rei familiaris diligenter administrandae ⁴². Neque tamen quaerere omisit, Auditores, de numerorum ratione, de cometarum ingenio mirabili *), de cursu et motu, de ortu et obitu, stellarum fiderumque ⁴³: quarum doctrinae liberalis partium studia, emissis Ptolemaei Pelusii libris, atque illustratis Nicomachi Geraseni opusculis ⁴⁴, a Schone-ro, magno astrologo, et mathemático, populari, et collega in Schola Noribergensi, suo, adiutus, vel excitare, vel alere et augere, ita allaborauit, vt, amore artis equitandi ductus, etiam ad curam equorum descenderit ⁴⁵. Sed vt expressam, absolutamque, in mente, non adumbratam, inchoatamque, humanitatis, et rerum humanarum scientiae imaginem gestaret, non contentus cognouisse praecepta, et decreta, philosophorum veterum, mathematicorumque, adiunxit, Auditores, lectionem assiduam historicorum omnis aetatis, et poetarum omnis generis, optimorum, sine vlla controuersia, sapientiae, et virtutis, magistrorum. Ac poeticae quidem facultatis Camerarii singularem excellentiam innumerabilis loquitur multitudo versiculorum, et Graecorum, et Latinorum ⁴⁶, quos composuit: historiae autem contexendae peritiam, cuius patris in familiaritatem iam puer apud Crocum venerat, vel vitae Eobani Hessi ⁴⁷, Georgii Anhaltini ⁴⁸, Melanthonis denique ⁴⁹, viri diuini, abunde declarant.

Iam quid censetis, Auditores? Virum, cuius animus fuerit, veluti magnus ac potens rex, tot, tantarumque, artium, et disciplinarum, quibus rem numariam ⁵⁰ addere potestis, orbisque terrarum notitiam, tanquam satellitum, comitatu et choro cinctus, et stipatus; qui eas mente ita comprehensas tenuerit, vt emineret in earum scientia prope modum vnus inter omnes aequales; qui de iis tam copiose, tam ornate, tam eleganter, tam perspicue, scripserit, disserueritque, vt, non cupide, sed auide, discerentur, arriperenturque, ab omnibus; talem igitur virum negabimus laude

de egregii, perfectique, Grammatici ornandum esse, atque condecorandum? Magnam autem illam, excellentemque, bonarum artium cognitionem Camerarius ipse perfectam ostendit, natamque, e sola Latinarum, et Graecarum, litterarum scientia iusta, et accurata: patrio sermoni, qui plerorumque nunc doctorum scholas, et auditoria, inuasit, occupauitque, grauitate disciplinarum et ingenio reluctante, verantibusque institutis maiorum praeclaris, ac repugnantibus sanctis Principum legibus, ei igitur nusquam reperi ab Camerario habitum esse hoc honoris, ut eum commemoraret, nedum ut laudaret studia eius, et commendaret, studiosis liberalis ingenuaeque doctrinae. Ac profecto, gloriam, quae e Graecis, Latinisque, litteris effloruisset, solam altas egisse radices semper, et propagatam esse, omnis docet, testaturque, consensus memoriae.

Sed ut hancce in sententiam spero facile, neque inuite, discessurum esse sapientissimum quemque: ita haud scio, an multi futuri sint, qui acriter pugnent, pertinaciterque contendant, Camerarium nullo modo ponendum esse in numero eximiorum Theologorum. Neque enim ignoratis, Auditores, reperiri non paucos, qui versentur in eo opinionis errore, ut maxime ridiculo, sic longe perniciosissimo, ut credant, profanas litteras esse eo longius arcendas, defendendasque, ab sacrarum litterarum mysteriis, quo maior habeatur naturae earum, et ingenii, dissimilitudo, ac diuersitas, ut copulari inter se, et coniugari, neuiquam possint, et qui ab humilitate, et obscuritate, Grammatices perfecti sint, eorum mentibus, fieri nullo pacto posse, ut capiatursatis fulgor, et dignitas, Theologiae. Quorum quidem hominum miserabiles, procacesque, voces arbitror facillime posse ita conuinci, et refutari, ut temeritas eorum, et stultitia, eo redigatur, ut Camerarium non magis Grammaticum perfectum, quam excellentem Theologum, fuisse concedant. Reperio autem Camerarium floruisse, non solum insigni scientia earum rerum, quae Theologiam, vel gignant,

vel ornent, sed ea etiam morum castitate, et vitae integritate, eundem praeditum scio fuisse, quae digna videretur singulari illa scientiae rerum diuinarum excellentia. Neque enim muneris nomen, et dignitas, sed scientiae praestantia, et animi probitas, faciunt Theologum. Camerarius vero fuit, consensu et iudicio omnium, excellens librorum diuinorum interpres: cuius facultatis regula nemo nescit cunctos solere metiri magnitudinem Theologi iustam. Qui enim ab Apostolis diuino spiritu afflatis conscripti sunt libri, eos doctrina Camerarii reliquit ⁵¹ tam praeclare explicatos, ut etiam nunc, qui doctae, bonaeque, interpretationis ingenium cognoscere velint, exemplum sibi inde sumendum, petendumque, ducant: et quae ante aetatem Christi ab Prophetis fusa sunt, et edita, oracula, eorum bonam partem in Latinum ita conuertit Camerarii stylus ⁵², ut magnam in eo etiam Hebraicarum litterarum scientiam fuisse aperte appareat. Iam quid de historia rerum, factorumque, ecclesiae Christianae, cum veteris, tum recentioris, dicam, altero illo Theologiae, non tam ornamento superuacaneo, ut clamant multi, quam fulcro potius maxime necessario? quam sane ita perceptam habuit Camerarius, ut pauci ei pares hoc in genere putarentur, anteferreretur nemo. Neque enim subito eam, et cursim, ut canis Aegyptius, lambitarat e riuulis Compendiorum, sed diligenter, et cogitate, ex ipsis scriptorum veterum fontibus hauserat. Eusebium, Basilium, Clementem Alexandrinum, studiose legerat ⁵³: libros Theodoret nonnullos e Graeco in Latinum conuertit: res Consilii Nicaeni iusto ordine, et summa elegantia, exposuit ⁵⁴: de Christianis recte sentientibus in Bohemia, Moravia, Polonia, accurate scripsit, et disseruit ⁵⁵: vitas Christi, optimi Seruatoris, Apostolorumque, tam ornate explicauit ⁵⁶, ut nihil dulcius hoc in genere, nihil iucundius, reperiri etiam nunc credatur. Quam bene autem, quam planè, tenuerit summam doctrinae Christianae, quam eleganter, quam perspicue, potuerit de ea disserere, vel vnus ille liber argumento est, quo eum scimus complexum esse, ut filiorum saluti con-

con-

confuleret, interpretationem earum Noui Testamenti particularum, quae publice solent, primis hebdomados cuiusque diebus, et festis, enarrari ⁵⁷. Sed longe maior me incessit, multoque acrior, admiratio, Auditores, quum cogito mecum, quanto religionis amore incensus flagrauerit, quanto eius defendendae, propugnandaeque, studio arserit ⁵⁸, Camerarius; quanta in eo fulserit vitae integritas, quanta sanctitas morum, et grauitas, ut magnitudo harum virtutum videatur etiam plurimum superasse excellentiam eruditionis. Ipse praedicat omnibus in libris, et ita praedicat, ut nulla simulationis suspicio videri subesse possit, principem omnium virtutum, et quasi reginam, esse pietatem aduersus numen diuinum sinceram; humanae sapientiae auxilio neminem posse peruenire ad felicitatis verae possessionem, cuius qui particeps fieri cupiat, eum se Christo tradere in disciplinam oportere ⁵⁹; vitam potius profundendam esse, domumque, et fortunas omnes, relinquendas, quam deserendam, prodendamque, religionis castitatem ⁶⁰; nullum denique cultum deo acceptiorem haberi, et hominibus fructuosiore, quam preces ⁶¹, quarum ardore salus religionis assidue commendanda videatur curae prouidentiaeque diuinae. Floruit enim Camerarius non modo amicitia summorum, sanctissimorumque, Theologorum, Lutheri, Melanthonis ⁶², Iusti Ionaë ⁶³, aliorum; sed etiam summa beniuolentia Georgii ⁶⁴, Ioachimi, Alberti, Philippi, aliorumque ⁶⁵, magnorum Principum, neque minorum religionis Christianae statum, gauisus est. Quibus sanctissimis viris, et Principibus, qui nulla re magis delectarentur, quam castitate et integritate religionis, quis sibi persuadeat, Auditores, carum, probatumque, esse potuisse hominem, in quo non vigeret vera pietas, sed callida quaedam eius simulatio, et imitatio fallax, reperiretur? Quis credat, ab parente, qui non duceretur sincero virtutis amore, atque studio, educatos esse liberos tam commemorabili pietate praestantes ⁶⁶? quales quidem fuisse accepimus omnes Camerarii filios, et in iis Ludouicum ⁶⁷ maxime, magni illius Fabricii discipulum, atque

que Philippum ⁶⁸. Quis putet, in homine, cuius animus non plenus reperiretur fiduciae diuini auxilii, fulsisse tantam rerum humanarum, diuitiarum in primis ⁶⁹, contemtionem, despicientiamque, et tam admirabilem in rebus aduersis fortitudinem, et grauitatem ⁷⁰? Quis existimet, scholas Camerarii Noribergae ⁷¹ primo, deinde Tubingae ⁷², postremo in vrbe nostra, constanter floruisse tanta discipulorum praestantissimorum, si non frequentia; nam in stultorum quoque auditoria volat, et irruit, agmen rudium, leuiumque, et temerariorum, hominum; tamen fiducia, eumque in iis erudiendis tanta vsum fuisse, et fidei, et diligentiae, constantia, nisi deum siuere, et ex animo, amasset, cui rationem disciplinae aliquando reddendam esse sciret? Quis denique arbitretur, Camerarium publice iussu fuisse interesse Colloquio Lutheranorum Noribergensi, fideique eius a Mauricio Principe commissam fuisse curam religionis, rerumque eo pertinentium ⁷³, nisi constitisset omnibus de summa excellentia eius rerum diuinarum scientiae, et de praestantia singulari pietatis, simplicitatis, prudentiae, grauitatis, iustitiae, etiam fortitudinis?

Iam vero eat mihi aliquis, et neget, Camerarium fuisse perfectum, absolutumque, Theologi summi exemplum, et speculum quasi nobile Theologiae! Pudeat vero etiam eos stultae temeritatis, qui profanas litteras clamant abhorrere a sacris, eosque peccare grauius, qui adiumento Grammatices vtantur ad interpretandos libros diuinos, qui quum ipsi, veluti sol, propria radient luce, inutilem scilicet alienae vsuram nihil requirant!

Quorsum autem haec omnia commemorari a me, et disseri, putatis, Auditores? Vt intellegatis, quam ad normam ego posthac, fauente deo, quam ad regulam, studia omnia sim, et instituta, directurus in eo munere, cuius adeundi, more institutoque maiorum sapienti, veniam et potestatem impetraui ab amplissimo Philosophorum Collegio. Cuius quidem muneris quo maiorem amplitudinem

nem esse, et dignitatem, sentio: eo magis mihi in eo elaborandum, ut id sustineam, video. Nam ea est profecto FRIDERICI AVGVSTI, Patriae Patris Indulgentissimi, sapientia, ea in Amicis eius et Familiaribus grauitas fulget, ut neminem ornent, nisi cuius doctrinam, docendique bonas litteras, et cupiditatem, et facultatem, iudiciis intellogentium virorum integris approbatam cognouerint: vestrae autem, venerandi bonarum artium Professores, prudentiae, et diligentiae, norunt omnes, laetanturque, tam singularem esse magnitudinem, ut non, nisi dignorum preces, voluntateque, graui sententiarum vestrarum pondere adiunetis: ea denique cupiditas humanitatis cernitur in vobis, Commilitones ornatissimi, ut nemo, nisi litteras bene doctus, vestris auribus et ingeniis satisfacere posse videatur. Quod quidem humanitatis studium insigne ego numerandum arbitror in summis beneficiis, iisque benivolentiae diuinae documentis, quibus remuneretur dei numen quodammodo, ornetque, posterorum grauitatem, qui sint seueritatis maiorum tam constantes, acresque, imitatores, tantique, et tam diligentes, aemuli. Iam quid faciendum mihi arbitramini, Auditores? Certe non expectabitis a me, neque postulabitis, ut precer, imploremque, et venerer, deum immortalem, ut potentissimo Regi salutem, incolumitatem, reditum in patriam, extinctis belli diuturni, luctuosique, incendiis, et reuocatis Pacis almae, ac Otii aurei, copiis, donet; ut Domum regiam impertiat, cumuletque, bonis fastigio regio et maiestate dignis; ut ornet Amicos Familiareque regios. Hoc enim foret, meo quidem sensu et iudicio, diffidere Prouidentiae diuinae, Pietati Regis optimi, Domusque regiae, sanctitati et sapientiae Amicorum Regis: a quibus diuinis virtutibus, sane non intellego, qui fieri possit, ut absit vnquam diuina benivolentia, omnisque summae, quae quidem in hominum imbecillitatem cadat, felicitatis copia. Immo spero, a me non magis, non melius, posse declarari animum pium, gratumque, pro tanto beneficio, pro tam singulari ornameto,

mento, quam ita, vt partibus me muneris bene, recteque, functurum spondeam, vt appareat, id mihi adepto aequum gratum esse, ac concupiscenti, hoc est, vt litteras humanitatis doceam, interpreterque, summo studio, neque ab earum societate separem vnquam, et seiungam, litteras diuinas. Vobis vero, Magnifice Academiae Rector, Collegii Philosophici Spectabilis Decane, reliquique bonarum litterarum Doctores Venerandi, et Magistri Clarissimi, vt pietate semper, et humanitate, satisfaciam, eo magis entendum mihi puto, quum, et initia muneris mei praesentia vestra, frequentiaque rara, et orationem tanta attentione, ornaueritis, condecoraueritisque: et vobis, Commilitones Humanissimi, eam, fauente deo, vt ostendi, et industriae, et diligentiae, constantiam, in tradendis artibus optimis, praestabo, certe conabor praestare, vt vestri vos in me amoris, et voluntatis, quam plurimi facio, nunquam poenitere possit. Quod reliquum est, tuae, o! deus immortalis, Praeses Statorque bonarum litterarum Optime Maxime, tuae tutelae, tuo praesidio, vt omnino omnia huius Artium Vniuersitatis Collegia, ita maxime Theologorum Venerabilium, Amplissimorumque Philosophorum, Ordines, commendatissimos esse cupio, vt studia rerum diuinarum, humanarumque, floreat semper apud nos, nec vnquam intermittantur, et vt castitas religionis, et puritas, praesidiis bonarum litterarum firmis munita, integra semper, atque intacta, praestetur. Nam mihi quidem hoc satis est, planeque, persuasum, quamuis ipse prope mundus ruinam minari videatur, tamen placere deo, vt optimarum artium, et disciplinarum, studiorumque humanitatis, cultura conseruetur ⁷⁵.

1. Cicero pro Archia c. 9.

2. Vid. Xen. Cyrop. 1, 5. 7. p. 64. Hutchinsf. mai. Locus dignus est, qui totus apponatur: Ὑμεῖς δὲ [agit Cyrus cum τοῖς ὁμοῖς] νῦντι μὲν δῆπερ, ὅσα περ οἱ ἄλλοι ἡμέρᾳ, δύνασθε χρῆσθαι, πόνος δὲ τῆ ζῆν ἡδέως ἡγεμόνας νομίζετε, λιμῶ δὲ, ὅσα περ ὄψω, διαχρῆσθε, ὑδροποσίαν δὲ ῥᾶον τῶν λεόντων φέρετε· κάλλισόν δὲ πάντων, καὶ πολεμικώτατον [Iunt. Ald. et alii, πολιτικώτατον· fed πολεμικώτατον legitur etiam ap. Longinum περὶ ὕψους c. 28, 3., et in Cod. Altorp. recte], κτῆμα εἰς τὰς ψυχὰς συγκεκόμισθε· ἐπαυόμενοι γὰρ μᾶλλον, ἢ τοῖς ἄλλοις ἅπασι, χαίρετε· τὰς δὲ ἐπαύνας ἐραστὰς ἀνάγκη ἐπὶ τέτῳ, πάντα μὲν πόνον, πάντα δὲ κίνδυνον, ἡδέως ὑποδύεσθαι.

3. Vid. Tacitus Ann. 4, 38.

4. Vid. Plato Apolog. 18. et Xenoph. Memorr. 1, 2. 5. f.

5. Camerarius epist. 1. p. 54. ad Carolouicium: *Haec scripsi, cum accingerer ad iter Lipsicum, quod, non tam illustriss. Principis clementiss. inuitatione, quam amicorum, et in primis tua, cohortatione, vel potius impulsu, suscipiendum, et accelerandum, mihi putavi.*

6. Vid. Melanthonis epist. ad Camerarium, quae Lipsiae apud Voegelinum, cura ipsius Camerarii, vno Volumine editae sunt, p. 368. f. Sed placet totum locum quamuis longum, lectorum causa, huc transferre: *Quantum ego iudicare possum, haec Academia, et ingenio tuo aptior est, et collocandae familiae accommodatior. Iam tantus est consensus omnium optimorum virorum, in hac aula et Academia, te expetentium, ut, et haec iudicia tibi perquam honorifica esse statuam, et arbitrer diuinitus te huc vocari. Ac, mihi crede, multo magis ornata est haec ciuitas ingenii, quam, vel opibus, vel operibus, quibus tamen excellere eam scimus. Scis, me hac quidem in re mediocriter philosophari. Non opes, aut aedificia, miror, sed praestantiam ingeniorum, senatus grauitatem, gubernationis formam ἀριστοκρατικὴν. Inter haec lumina egregiorum virorum te quoque conspici malim, quam in isto coetu, quem non quidem contemno, sed tamen hunc ut anteferam, perspicuis causis moueor. Deinde spero, etiam Ecclesiae plus profuturam esse tuam operam, hoc loco. Hae duae vicinae Academiae si florebunt, quantum momenti sunt allaturae ad conseruationem verae doctrinae? Nam alibi quid fiat, proximus conuentus ostendit. Aut tacent eruditi oppressi metu, aut inflectunt se, cum summa leuitatis nota, ad potentum dolos. Hic, etsi humana omnia sunt incerta, tamen nunc quidem consensus est bonorum, et illa virtutis custos in statione mediocriter est, libertas. Rogo igitur*

igitur, ut de tota re statuas. Nam ego nihil praescribo tibi, et studio errare possum. Illud autem tibi confirmo, quod ad voluntates doctorum ac prudentum omnium attinet, omnes tui cupidissimos esse. Omnes testantur, sibi mores tuos, fidem, et eruditionem, probari.

7. A. C. CIΩIOXXXXI. Vid. Camerarius epist. 1. p. 39. Francof. et in Vita Melanthonis p. 185. edit. Lips. a. 1566. p. 187. f. edit. Lips. a. 1596.

8. Camerarius epist. 1. p. 122. f. ad Cumerstadium: *Mihi vero hanc libertatem quaesivi desertione patriae, in qua, si assentari aliquibus voluissem, occasio augendae rei, ac dignitatis, mihi non defuisset.* Idem epp. 2. p. 139. ad Stramburgerum: *Qua et huc [Lipsiam] spe [studii vacandi] veni. nam honores, et diuitias, nunquam affectavi, et consequi fortasse, si vellem, non possem.*

9. Camerarius epist. 1. p. 40.: *Omnino in Academiam bene constitutam me venturum esse putaram, ubi nostrarum litterularum culturam in otio exercere possem. Sed animadverto, rem scholasticam esse perturbatiss.* Quo quidem pertinet etiam epistola ad Georgium Cumerstadium tota, quae legitur lib. 2. p. 118. ff.: itemque litterae ad Ioh. Stramburgerum p. 135. ff.: et aliae quaedam.

10. Fecit id in suis Praefationibus Iac. Thomaeus p. 488. ff., sed, et iusto brevius differuit ea de re, et alio consilio. Nuper Memoriam Ioach. Camerarii edidit Ioh. Frider. Eccardus, Gothae a. 1774. 8. Etiam in Tho. Crenii Collectione libellorum de eruditione comparanda p. 1. — 249. L. B. a. 1699. 4. multa leguntur ad laudes Camerarii pertinentia. Catalogus scriptorum eius, a Ge. Summero editus Gedan. a. 1646. 8., locupletatus extat in Fabricii bibl. Gr. 6, 10. 17. p. 493. — 532. Vol. 13.: quem augere et perficere studuit Aug. Guil. Ernestius, V. C., editis duabus Prolusionibus, Lipsiae a. 1782. et a. 1786. 4.

11. Vid. Cic. pro Plancio c. 8.

12. In epistola ad Georgium principem, quae inserta est Vitae eius a Camerario scriptae p. 60., Lutherus Heltum vocat hominem, qui Iesum Christum ardentissime dilexerit, studiosissime coluerit, et Ecclesiae utilissimus fuerit, cuius ipse precibus filius sit plurimum. Sed multo etiam magis laudat virtutes Helti Camerarius. In praefat. ad Homilias Graece conscriptas eum vocat *Virum optimum tam ingenio, quam moribus, deque veneratione, et doctrina, tunc secundum nemini, qui apud clarissimos Ascaniae principes in honore — ob virtutem — et pietatem, senex mortem obierit.* Et in epistola ad
Geor.

Georgium principem de morte Helti, eum appellat *optimum, et sanctissimum, et doctissimum, Virum*. Extat illa epistola, cum in Vita Georgii p. 53., tum in epistolis familiaribus lib. 1. p. 1.—4. Francof. In Vita Melanthonis p. 216. [ed. Lips. a. 1566.] Heltus vocatur ab Camerario *optimus, et integerri- mus, sapientiaque, et virtute, in primis pietate, eximia prae- ditus*: et in Vita Eobani Hessi p. 16. *optimus et integerri- mus Vir*.

13. Plin. 2. ep. 3, 7.

14. Vid. Camerarius in Vita Georgii p. 12., quam Ioa- chimo, Georgii fratri, inscripsit: et in Vita Melanthonis p. 217., vbi ait, Georgium cum Ioachimo fratre vsum esse Helto doctore, seque appellatum esse ab istis Principibus *con- discipulum*.

15. Vid. Camerarius in Vita Georgii p. 45.

16. Camerarius in epistola ad Georgium Anhaltinum de morte Helti, quam ante laudauimus: *Liceat mihi agere gra- tias deo, qui voluerit in Georgii Helti, opt. et sanctiss. et do- ctiss. Viri, disciplinam me tradi, ad quem deductus a matre mea, femina, nec imprudente, et pia, atque commendatus illi, ut filius, paterni animi affectionem ita sum in hoc exper- tus, ut, si ex ipso natus essem, neque diligentius me custodi- re, neque ardentius diligere, neque fidelius instituere, potuisse videatur*. add. Camerarii Praefat. ad Theonis Progymnas- mata α, 3, vbi Heltum vocat *Georgium Vorchemium*.

*) Vid. Xenoph. Memorr. 4, 1. 2.

17. Camerarius in Commentario in Tuscul. 1. Ciceronis ad Iulium Pflugum, qui est dialogus inter Stibarum et Camerarium, [Basil. A. C. MDLXXXVIII. quaternis] p. 6.: *Nos autem et ipsi inceptum iter tenuimus, neque optimarum artium atque disciplinarum studia deferere unquam volumus, et rectam er- ga illa voluntatem contra fortunae, cum blandimenta, tum indignationes, custodiuimus. Neque enim quicquam aliud a puero instituto atque imbuto praeceptis illarum, magnum mi- hi, neque pulcrum, visum: et in hac persuasione cum eis quid- vis mali quoque, si ita cecidisset, subeundum perpetiendumque potius duxi, quam, desertis illis, in summa quiete, et splen- didissima fortuna, velle viuere*. Et in Narratione de Eobano Hesso p. 4. [Lips. A. C. MDCLXXXVI. octonis]: *Cole- bamus, inquit, eas litteras, sine quibus persuasum nobis erat nullam doctrinam sapientiae professionem suam tueri posse, et auctores Graecae, et Latinae, linguae legere studebamus —. Nos quidem certe ita statuebamus, hanc esse viam virtutis, atque sapientiae, atque iter directum, cum pietatis, et reli-*

(G)

-gio-

gionis, tum humanitatis, et laudis, in hac vita, et in terris — neque spem, quae concipiebatur de his rationibus, quantum tum venire passi fuissetus — neque possum vel hodie. no die animum inducere, ut aliter sentiam — ut non debeat nos nimium pudere, si quis illum exprobet, et impedimenti fuisse perhibeat, quo minus opes, dignitatem, honores, consequeremur.

18. In epistola ad Georgium, Principem Anhaltinum, Herodoto, qui Basileae apud Heruagium A. C. **CICIDXXXI**. prodiit, praemissa, Camerarius Heltum nominat *optimum, et doctissimum, et fidelissimum, magistrum, ad quem annum ingressus XIII. deductus fuerit, et commendatus a matre: fuisse ait se cum eo ferme quinquennium, ut nihil diligentiae curaeque maximae in se erudiendo instituendoque bonis litteris, atque artibus, et praeceptis virtutis, omiserit.* In Vita Melanthonis p. 216. de Helto: *Qui neque me aliter, quam filii loco, toto quinquennio, quo discipulus ipsius fui, habuit.*

19. Camerarius in epist. ad Georgium Anhaltinum, praemissa Herodoto, memorat se usum esse Graecae linguae magistris *Petro Mosellano* [v. Vita Melanthonis p. 92.], *Ioh. Mezeler*o, Presolauienti, et in primis *Ricardo Croco*, Britanno, praeceptore Mezeleri, Crocumque sibi Herodoti librum primum exposuisse: refertque facultatem Graecae linguae magna ex parte Herodoti lectioni acceptam. Et in Narratione de Eobano Hesso p. 4.: *In qua parte, inquit, ego, quanquam admodum adolescens, tamen ferebar in oculis, quia audieram Richardum Crocum, Britanum, qui primus putabatur ita docuisse Graecam linguam in Germania, ut plane perdisci illam posse, et quid momenti ad omnem doctrinae eruditionem, atque cultum, huius cognitio allatura esse videretur, nostri homines sese intelligere arbitrarentur.* Add. Commentar. Camerarii in Tuscul. 1. p. 6. De Croco elegantem A. C. 1761. libellum Lipsiae edidit Ioh. Aenotheus Boehmius, repetitum in Opusculis eius Academicis de Litteratura Lipsiensi, Lipsiae A. C. 1779. 8., p. 167. — 188. Et ego, paucas ante hebdomadas, a Patre meo, venerando sene, cui ipse debeo omnem harum litterarum amorem, accepi eiusdem Croci Tabulas Graecae linguae, quibus epistolam ad Ioh. Kuchel, Artium et I. V. D., Georgii, Saxonum Ducis, Cancellarium, praemisit Philippus Nouenianus, Croci discipulus, scriptam Lipsiae a. d. X. Kal. Nou. A. C. **CICIDXXI**.

20. Camerarius in Narratione de Eobano Hesso p. 29.: *Non ita multo post ego annos natus octodecim, qui Iesu Chr.*
annus

annus fuit MDXVIII. Erphordiam et ipse me contuli, quum Lipsiae vixissem annis quinque, et duobus operam dedissem Richardo Croco, Britanno — fuissetque etiam Mezleri, et Petri Mofellani, auditor. Et p. 42.: Cum hoc [Georgio Sturciade] designatus fui, et mox renunciatus, decimus nonus, secundo, ut opinor, loco, Magister optimarum artium, declarante iudicium de nobis eorum, qui suffragia tulerunt, Eobano Hesso —. Hic annus fuit Christi MDXXI. incipiens. Add. Vita Melanthonis p. 27. et Praefat. ad Theonis Progymnasmata α, 3, b.

21. Vid. Ioh. Aug. Ernestii τὸ πρῶτον Elogium Caspari Borneri p. VIII.

22. Vtrumque, et Plautum, et Macrobius, edidit Camerarius emendatum ope librorum MSS.: et Plautum quidem A. C. CIOIOI. et A. C. CIOIOLVIII.: Macrobius A. C. CIOIOXXXV. Basil. apud Ioh. Heruagium: quae est admodum nitida editio. Notae eius in Plautum correctae, et auctae, etiam insertae sunt editioni Basil. Heruagianae A. C. CIOIO LXVIII. octonis; p. 126. — 300.

23. Ciceronis libros varios, vel edidit, vel illustravit notis, ut Tusc. I. Basil. A. C. CIOIOXXXXVIII. quaternis: Epistolas ad diuersos A. C. CIOIOI. octonis: libros de Officiis A. C. CIOIOXXVII. etc. Sed omnia Ciceronis Opera cura Camerarii edita sunt Basileae A. C. CIOIOXXXX. Voll. 4. formae maximae apud Heruagium: de qua editione v. Ernestius Praefat. ad Cic. Opp. p. 29. f. Scholia eius in Lucanum inserta sunt editioni Audendorpii, quum prodissent A. C. CIOIOXXXVIII. Notae in Caesarem habentur in edit. Lugd. A. C. CIOIOCXIII.

*) Camerarius in epistola ad Iustum Ionan, praemissa Versioni Histor. Eccles. Theodreti Latinae [Basil. A. C. CIOIOXXXVI. f. max.]: Si quid mihi forte eximiae cognitionis Graecae linguae inter aequales meos vendicem, non arrogantia, sed iure meo, facere hoc videri debeam. Eo enim sum aetatis tempore ad illius studium adductus, tantaque optimi, ac doctissimi, viri, magistri mei, Georgii Helti, voluntate, promptitudine, cupiditate, dicam etiam vere molitione ac vi, in hoc retentus, et excitatus, ut non sine maxima infamia ignorari haec lingua a me possit, neque vulgariter solummodo me intelligere eam, ferendum esse videatur.

24. In Praefat. ad Phauorini Lexicon: Qui statim ubi ad aliquam, ut creditur, maiorem professionem, re autem vera opificium quoddam doctrinae, accessere, tum omnem respectum, et curam, bonarum litterarum, et studiorum humanitatis, tanquam inutilem et superuacaneorum in posterum deponunt, at-

que abiciunt. Graecae vero linguae cognitionem, non modo non requirunt, sed despiciunt etiam, atque irrident.

25. Basileae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi\iota$. et $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota$. f. max. apud Ioh. Heruagium. In Praefat. ait: *Debetur et aliquid nobis, qui ipsi quoque cura et respectu nostro opis nonnihil attulimus his libris, profecto admodum afflictis, praesertim in scholiis breuibus illis quidem, sed — plurimi faciendis —.* Commentarium Camerarii in rhapsod. α' et β' Iliados Ioh. Scherpezelius reiecit ad calcem scholiorum Man. Moschopuli Trai. ad Rhen. A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi\chi\chi\iota$, octonis, editorum.

26. Basileae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi$. f. max. apud Heruagium. In epistola ad Mauricium, Praefulem Eystatensem, ait: *Vsum adiumento Cod. vetusti, Constantinopoli ab Eugenio Ioh. cuidam Aretino ante annos amplius centum donati. Adiunximus nostram curam, maxime in Commentariolis percensendis.*

27. Basileae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi\iota$. f. max. apud Heruagium.

28. Notae in Sophoclem primo Basileae ex officina Ioh. Oporini A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$. exierunt octonis, deinde A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$. illatae in editionem Stephanianam.

29. In eius Sententias scripsit Camerarius $\upsilon\pi\omicron\mu\nu\eta\mu\alpha\tau\alpha$ Graeca, edita iterum Lipsiae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi$, octonis, a Sebero.

30. Interpretationes Politicorum Aristotelis, et Oeconomicorum, prodire Francof. apud Vuchel. A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$ LXXXI. quaternis.

31. Cyri paedia Latine cum notis Camerarii edita est Parisiis A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$ LXXII. quaternis: et Latina eiusdem Versio libelli $\pi\epsilon\tau\epsilon\iota\iota\iota\iota$, aliorumque, eodem anno, et loco: atque $\Lambda\theta\eta\nu\alpha\iota\omega\nu\ \pi\omicron\lambda\iota\tau\epsilon\iota\alpha$ Lipsiae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi\chi\chi\iota$. octonis.

32. Theonis Progymnasmata cura Camerarii exiere Basil. A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi$. 8., et Progymnasmata Aphthonii Lipsiae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$ LXXXVIII. octonis.

33. Vt Archytas, cuius libri $\pi\epsilon\tau\epsilon\iota\iota\iota\iota\ \pi\alpha\nu\tau\omicron\varsigma\ \Phi\upsilon\varsigma\epsilon\omega\varsigma$ editi sunt Lipsiae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$ LXXVIII. 8.: Phauorinus, Basileae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\chi\chi\chi\chi\chi\chi\iota$. f. max. apud Rob. Vwinterum.

34. Quo in numero habentur maxime Homiliae, h. e. explicationes earum partium, quae excerptae de Euangelicis scriptis solent recitari conuentibus solemnibus, Lipsiae A. C. $\epsilon\iota\delta\iota\omicron\iota\iota\iota$ LXXIII. quaternis.

35. De Heruagio Camerarius in Praefat. ad Homerum haec scripsit: *Dignus et fauore — Heruagius noster, qui — non cessat impensis suis eos libros euulgare, quibus de maior famae a posteritate, quam lucri in praesentia spes, concipi possit.*

36. Ele-

36. Elementa Rhetoricae, Lipsiae A. C. MDCLXII. octonis.

37. Oratio habita Lipsiae ad funus illustrissimi Principis Mauricii, Ducis Saxonum Electoris, quum praeterduceretur, XIII. Cal. Iul. Lipsiae in Officina Valentini Papae A. C. MDCLIII. quaternis. Orationes Camerarii funebres X. in memoriam eiusdem Principis edidit Ludouicus, filius, Lipsiae A. C. MDCLVIII. octonis. Oratio de laudibus Ioh. Homilii, Lipsiae A. C. MDCLXIII. octonis etc.

38. Epistolarum eius familiarium libri VI. editi sunt a Ioachimo, filio, Francofurti apud Vuchelos A. C. MDCLXXXIII. octonis. Sed multae postea aliae prolatae sunt a multis, et coniunctim, et separatim, variis in libris.

39. Quo pertinet, verbi causa, liber de generibus diuinationum A. C. MDCLXXVI. 8. editus.

40. Opuscula moralia, Francof. A. C. MDCLXXXIII. Quo referri etiam debent Fabulae Aesopiae, aliquoties editae, et Explicatio librorum Ethicorum ad Nicomachum: itemque Dionis Prusaei libellus de non temere credendo, in Latinum conuersus e Graeco, notisque illustratus, ad calcem Praceptorum VII. Sapientum Graeciae, a Lycio Latine versorum, Lipsiae A. C. MDCLXII. octonis.

41. Quo spectat Interpretatio Politicorum Aristotelis.

42. Huc pertinet Interpretatio Oeconomicorum eiusdem Aristotelis.

*) De Cometis, A. C. MDCLXXVI. 8.

43. Astrologica, A. C. MDCLXXXII. 8.

44. Κλαυδίου Πτολεμαίου Πηλυσσιεύς Τετραβιβλος Σύνταξις, πρὸς Σύρον ἀδελφόν, Noribergae A. C. MDCLXXXV. quaternis: quae editio est in bibliotheca Collegii Paulini. Ego vero possideo exemplum, adornatum Basileae ab Ioh. Oporino, A. C. MDCLIII. octonis, sine Versione Latina, et sine notulis, quae reperiuntur in altera illa editione. Notae in libros Nicomachi Geraseni Ἀριθμητικῆς Συναγωγῆς exierunt Lipsiae A. C. MDCLXVIII. 8., quibus editionem eorum suam auxit Sam. Tennullius, Arnhem. A. C. MDCLXVIII. 4.

45. Hippocomicus s. de curandis equis. Est in bibliotheca Senatus Lipsiensis.

46. Eclogae, et poemata, Lipsiae A. C. MDCLXVIII. 8.

47. A. C. MDCLXXXXVI. octonis.

48. A. C. MDCLXXXXVI. octonis.

49. A. C. MDCLXVI. octonis. Omnino de meritis Camerarii in historiam differit eleganter Boehmius in Orat. nuper edita de studii et doctrinae historiarum publicae, in Aca-

demia Lipsica, ortu p. 16. ff.: quae inserta extat Opuscul. eius Academicis de Litteratura Lipsiensis p. 107. ff.

50. Vocabula rei numariae A. C. ϞΙϞΙΧΧΧΧΧVIII & Vuitebergae. Vidi in bibliotheca Senatus Lipsiensis.

51. Notatio figurarum sermonis in libris quatuor Evangeliorum, Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLXXII. quaternis: Notatio figurarum orationis et mutatae simplicis elocutionis in Apostolicis scriptis, etiam in libro Πράξεων et Ἀποκαλύψεως, ibid. e. a.

52. V. c. Lamentationes Ieremiae, A. C. ϞΙϞΙϞLIII.: Psalmi VII. poenitentiales, A. C. ϞΙϞΙϞLXXIII. Eodem pertinent Sententiae Iesu Siracidae, Graece cum notis, Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLXX. octonis: et liber Sapientiae, Latine, cum notis, Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLXX. octonis.

53. Hoc intellegi maxime licet e libello, quem edidit de piis et catholicis precibus, et inuocatione numinis diuini: cui libello insertae sunt ab ipso Camerario multae precum formulae Graecae: Argentorati A. C. ϞΙϞΙϞLX. octonis.

54. Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLII. octonis.

55. Heidelbergae A. C. ϞΙϞΙϞCV. octonis.

56. Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLXVI. octonis.

57. Edidit librum illum Ludouicus, filius, Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLXXIII. quaternis. Eodem referri debet *Catechesis Latina*, Lips. A. C. ϞΙϞΙϞLXXIII. octonis: et *Catechesis Graeca*, Lipsiae A. C. ϞΙϞΙϞLX. octonis.

58. Id quod apparet maxime e disputatione de piis et catholicis precibus.

59. Camerarius Prolegg. ad Sophoclem p. 10.: *Cuius [sapientiae humanae] iter non tendit ad veritatem, neque ad salutem, et felicitatem, peruenit —. Quapropter ad aliam scholam transeundum est, quam aperit Ecclesia filii dei, Domini nostri vnici Iesu Christi.* Praefat. ad Herodotum: *Veneror, atque veluti adoro, diuinam quandam voluntatem in te, et studium caeleste, veri cultus nominis et religionis Christianae. In quibus quum sint vniuersa, quum salus nostra tota haereat, quum omnis virtutis perfectio consistat, quae tamen incuria, quae neglectio, quantum frigus, omnium sit, videmus. Quid ego dicam etiam peruersitatem, et prauitatem, quorundam, qui, vel ambitione, et spe honorum, vel metu amittendarum opum, vel quacunque animi non admodum honesta affectione, et ipsi tenere, et ab aliis defendi, manifestos errores — volunt.* Epist. praemissa libro Sapientiae: *cuius [Christi] laudi seruire omne studium, omnemque industriam meam, cupio pertinentem ad commoda, pietatem, et religionem.* Epist. I. p. 104.: *Si legum,*

gum, iudiciorum, vestigalium, armorum, cura ad firmum statum regni diligens est suscipienda — multo profecto magis religio, et pietas, ut pura atque incorrupta sit, videre curareque par est, ac decet, cum fundamentum hoc sit bonae spei ad felicitatem uniuersam. Addi potest Oratio Camerarii de cultu pietatis et virtutis, Lips. A. C. cıoıoıxxxv., octonis edita: itemque Programmata breuicula, nomine Academiae Lipsiensis scripta, et collecta in vnum fasciculum ab Ludouico, filio, A. C. cıoıoılxx. octonis, Lipsiae.

60. In epistola praefixa Sententiis Iesu Siracidæ: *Vnusquisque videat, ne veritatis doctrinam caelestem, cuius magister est filius dei, negligenter audiat — aut nefarie etiam prodat, neu ulla re violet atque contamineat — ut fortunas, ac vitam, potius amittere — quam veritatem prodere, malit. Epistt. 2. p. 162.: non potest esse miserius mori, quam in summa turpitudine desertæ et proditæ veritatis viuere. Et ibid. p. 143.: Non pudeat inter recte sentientes in Ecclesia Christi numerari, in qua ut viuam, et moriar, Christum oro.*

61. Narrat de Eob. Hefso p. 55.: *Celebrauit [Hefsus] æternum deum, et omnibus — occasionem de rebus diuinis cupide, et ardentem, commentandi præbuit. Qui est ad deum cultus summus, et maximus ad homines fructus.*

62. Melanthonis ad Camerarium Epistolæ prodierunt Lipsiæ, cura ipsius Camerarii, A. C. cıoıoılxviii. 8.

63. Iusto Ionæ inscripsit Theodoreti Historiam Ecclesiasticam, Basil. A. C. cıoıoıxxxvi. f. max. In epistola ad eum ait: *me pene adhuc puerum cupidissime es complexus, et habuisti nos in numero familiarium tuorum.*

64. Georgio Anhaltino inscripsit Camerarius Herodotum: *Ioachimo, Marchioni Brandeb., Homerum: Alberto, Marchioni Brandeb., Phauorinum, et Linacri libros VI. de emendata structura Latini sermonis: Philippo, Hassiæ Landgrafio, Vitam Melanthonis.*

65. Vt *Christophori*, Ducis Vuirtebergenfis, cui sacram esse iussit dissertationem de precibus: *Mauricii*, Praefulis Eyfstatensis, cui inscripsit Thucydidem: *Ioachimi Friderici*, Administratoris Primatus et Archiepiscopatus Magdeburgensis, cui dedicauit Notationem figurarum sermonis in libris quatuor Euangeliorum etc.

66. Etiam in Testamento, quod fecit pater A. C. cıoıoılxviii. d. XII. Sextilis, quodque insertum legitur Museo Norico p. 89.—100., filios grauiter cohortatus est ad studium pietatis constans, et flagrans.

67. Is, ut ante diximus, edidit patris Homilias, iisque praefixit epistolam, in qua ait, *qui Christum bene sciat atque norit, eum satis superque esse doctum, quamvis alia nesciat.*

68. De Philippi Camerarii Vita Commentarium elegantem edidit Schelhornius, Norib. A. C. cııııccxxx. 4.

69. Epist. 2. p. 124.: *Ego vero, neque natura, neque voluntate, idoneus sum ad quaerendam rem.*

70. Amisit A. C. cııııxxxv. fratrem unicum [Epist. 2. p. 140.]: et uxorem A. C. cııııLxxııı. [Epist. 2. p. 132.]. Laboravit saepe febris, etiam nephritide, ut A. C. cııııLxvıııı. Modo coactus est commorari Vuurcepurgi, modo Noribergae, nunc Neostadii ad Orilam [vid. Vita Melanthonis p. 262.], nunc Merspurgi, cum suis [Epist. 2. p. 163.].

71. Narrat. de Eobano Hessio p. 46.: *in qua [Noribergae] una cum illo [Hessio] ego, et Micailus Rottingus, viximus annis circiter septem, et eas litteras, atque artes, quas didiceramus, docuimus, sine specie quidem dignitatis, sed cum aliquo certe non vulgaris commoditatis fructu.* Vita Melanthonis p. 105.: *Fuit anno Christi MDXXVI. nobis magistris inchoata publica doctrina bonarum litterarum, atque artium, in ea urbe [Noribergae].*

72. Epist. 2. p. 175.: *Bene volo hominibus illis [Tabingenfibus], apud quos aliquot annis non incommodo hospitio usi sumus, et peroravi istam, crede mihi, non sine summa molestia mutavi.* Alia huc pertinentia reperiet lector in Hofmani V. C. Comment. de meritis Melanthonis in hist. Germanicam, sermone patrio conscripta.

73. Vid. Secquendorffius Hist. Lutheran. 3, 8. 69. p. 205. et 3, 27. 110. p. 455. Ipse Camerarius Epist. 2. p. 144. ad Stramburgerum: *Ad Consistorium quod attinet, permaneo in sententia, et utar iure meo, et Principis voluntate, qui ad culturam studiorum nostrorum me accersit: neque patiar ad aliena haec me abripi, praesertim cum, qui haec agere, et velint, et possint, reperire liceat alios me multo magis idoneos.*

74. Sunt verba Camerarii in epistola ad Ioh. Stramburgerum, 2. p. 140. Francof.

ORATIVNCVLA

A. D. XXII. SEPTEMBRIS A. C. CIOCCCLXVII

IN SCHOLAE THOMANAE
AUDITORIO CLASSICO
MVNERIS RECTORIS

HVIVS IPSIVS SCHOLAE
ADEVNDI CAVSSA
RECITATA

AB

IOH. FRIDER. FISCHERO

Q. B. V.

V I R I

SVMME REVERENDI ILLVSTRIS

AMPLISSIME

PATRONI MAXIMI

COLLEGAE OPTIMI

DISCIPVLI CARISSIMI

Etſi ſcirem, Auditores, de quo tamen vel cogitare eſſet proſecto hominis vaniſſimi, ſtultiſſimeque ſuperbi, etſi vero ſcirem, ſtudia mea ſpem veſtram nunquam ſeſeſſiſſe; etſi vere recteque gloriari poſſem, operam meam ſemper ſatiſſeſſiſſe exſpectationi veſtrae: tamen nunc certe vehementer timendum eſſe ſatis intellegerem, ne oratio mea parum reſpondere deſiderio aurium veſtrarum putaretur. Neque enim ignorari a vobis ſcio, Auditores, qui mutus adeat magiſtri bonarum litterarum in Scholis, vel maioribus, vel etiam minoribus, cum oratione fere perſequi tum quaefſionem ſolere, quae pertinere intellegatur, vel ad diſciplinam vniuerſam, quam proſiteri iuſſus ſit, vel certe ad aliquam illius partem: vt ſcilicet facultatis, doctrinaeque, ſuae exemplum quaſi, et ſpecimen, oſtendat, exhibeatque, iudicio auditorum. Sed ab huius conſuetudinis norma diſcedere, pace veſtra, Auditores, orationi nunc meae licebit; non quod ipſius, moris ſolennitatem, et vetuſtatem, vituperandam arbitrer; quis enim, quaefo, reperiri, viderique, velit arbiter doctrinae liberalis

lis tam stulte iniquus, vt argumenta eius, ac documenta, repudianda vilo modo, et contemnenda, censeat? sed quoniam idoneas mihi huius consilii, iustasque, habere causas videor. Ego enim ipsos sex et decem annos tradidi ingenuis adulescentibus bonas litteras in hac Schola; in eunte enim anno primo et quinquagesimo Conrektoris partes suscepi; vt, nisi nossetis, Auditores, nisi scirent ii, penes quos cura rerum Scholae nostrae est, reperiri in me, non dicam boni, verum probabilis, magistri numeros, et virtutes, me nunquam magistrum illius, nedum omnium magistrorum principem et quasi ducem, sententiis suis legissent: et huius ipsius beniuolentiae Ordinis amplissimi cogitatio totum animum meum, omnes eius recessus, et latebras, repletas tenet tanta copia, tanto cumulo, laetitiae, quae mihi etiam lacrymas exprimat pias, grataeque, aduersus sapientissimam dei prouidentiam, quarum lacrymarum vi impediatur, obruaturque, omnium aliarum rerum cogitatio. Nihil igitur a me nunc expectabitis, Auditores, quod vilo modo pertinere videatur ad orbem humanitatis, partesque liberalis doctrinae: immo declarare constitui breuiter, et ostentare omnibus, magnitudinem insignem, et praecipuam, eius beneficii, quo ego me ornatum, diuini numinis consilio, et Senatus auctoritate, mirabundus laetor. Quod quidem eo magis faciundum puto, quia me non parum adiuuari grato pectoris sensu video; quo solo disertos reddi homines, etiam Quinctiliano auctore nouimus: et si intellexeritis, sentiri a me veram beneficii vestri magnitudinem, spero, a vobis praecipi eo certius animis posse, me partibus muneris, deo quidem fauente, satisfacturum, me rectoris Scholastici personam, si non optime, at saltem bene, acturum, esse: quod saepe auctorum beneficii auribus ingenuis, et humanis, non potest non esse acroama vnum omnium longe suauissimum, et dulcissimum, certe aequae gratum, et iucundum, atque auribus Themistoclis vox eius, a quo virtus viri optime praedicabatur. Sed quum ipsi sciatis, Auditores, eam esse

nunc

nunc memoriae meae leuitatem, eam negligentiam, vt tuto ei, recteque, committi nihil potuerit: non aegre feretis, me ea, quae dicturus sum, de scripto dicere; praesertim quum etiam senatores Romani reperiantur saepe sententias de scripto, non semper memoriter, dixisse.

Iis enim beneficiis praecipuam quandam, et singularem, magnitudinem, grauissimum, maximeque ingens, pondus, iudicant, fatenturque, omnes inesse, quae profisciscantur, non ab vnius humanitate, sed ab beniuolentia plurium: quae dentur, non inuite, et temere, sed consilio, et sponte: quae tribuantur, non multis, verum paucis: quae prosint, non tantum iis, quibus impertita sunt, verum aliis quam plurimis; non hoc, vel illo, tempore, verum semper: quae orrent, non tantum viuos, verum etiam mortuos. Hae vero sunt, Auditores, hae sunt ipsae notae, haec sunt ipsa quasi insignia, eius beneficii, quo ego me auctum esse, condecoratumque, tantopere gaudeo.

Non commemorabo sapientiam, et prudentiam, nihil dicam de aequitate et iustitia, non attingam liberalitatem, et humanitatem, non persequar reliquas virtutes summas, easdemque propemodum innumerabiles, Senatus vniuersi, singulorumque senatorum, ne tam laudatoris grati, memorisque, personam agere, quam cupidi potius, et vani, assentatoris partes suscepisse, videar. Sed cogitate, quaeso, Auditores, vobiscum, cogitate, quanta, quam incredibili cura, quam singulari, quam praecipuo, fauore, completatur Senatus hanc Scholam, eiusque res, ac salutem: quam studiose, quam diligenter, eius rationibus prospiciat, vt eam nemini credat, cuius virtus, fides, industria, doctrina, non sint abunde cognitae atque perspectae. Ego quidem, Auditores, comparare saepius soleo mecum Scholam nostram Thomanam cum filia parenti carissima: et Ordinem amplissimum conferre consueui cum Parente indulgentissimo, maximeque pio aduersus hanc filiam suam, qui consultum ei, prospectumque, velit quam optime: neque

que quenquam spero inueniri vspiam, qui mihi non assentiat libenter, cuius menti, et animo, non inhaereant eadem imagines, non tam adumbratae, quam expressae. Nonne vero ille adulescens, ille iuuenis, omnibus videbitur esse in primis bonus ac probus, cui talis parens filiam collocauerit, quem ipse generum sibi legerit? Itaque ego me non putem summo affectum beneficio esse, ego me non fatear, gloriorque, insigniter esse praecipueque ornatum, quum Senatus, Parens huius Scholae amantissimus, et diligentissimus, curam eius mihi, et quasi custodiam, commiserit? quum me caput eius, principemque, constituerit?

Sed quoniam beneficii magnitudinem, atque praestantiam, etiam animo auctoris metimur, vt, quo citius illud, quo facilius, quo libentius, dederit, eo maius, eo excellentius, eo admirabilius, ipsum beneficium iudicetur: sane nec hoc in genere reperiri video, quod vlllo modo conquerar de iniquitate, inuidiaque, Fortunae. Ea enim erat, maxime exeunte anno superiore, et ineunte hoc anno, valetudinis meae tenuitas, et imbecillitas, quam nostis ita nuper auctam fuisse, vt non videretur maior fieri posse, ea igitur erat tum valetudinis meae imbecillitas, vt consilium petendi muneris grauioris prorsus abiiciendum censerem, quia hoc corpusculum meum, quia hic animulus, in hoc corpusculo inclusus, oneri tanto ferendo, et sustinendo, esset plane impar futurus: ostendebam Consuli, et Consularibus viris, ostendebam vobis, viri summe reuerendi, me non petiturum esse partes rectoris Scholae nostrae, quae per me dari possent, et imponi, alii cuius, qui firmior me, robustiorque, esset, modo ratio mei sic haberetur, vt redditus mei tenues atque exigui augerentur, quo securius mihi viuere liceret cum meis, quo plus prodesse, vinculis curae rei familiaris solutus, opera mea discipulis nostris possem. Si vero hominem iamiam fugientem reprehendebant, retinebant, remanere iuebant: nutantem et dubitantem confirmabant; quod deus corpori aegro, et affecto, into-

integritatem, roburque, certissime redditurus esset, quod deus animum esset infirmum omnino adiuturus et confirmaturus. Harum vocum, harum cohortationum, Bornii in primis, et Gutschmidii, summorum omnique, etiam exquisitissima et accuratissima, non tantum mea, laude longe maiorum, virorum, grauitate pia impulsus, hac auxilii diuini fiducia plenus, trado litteras Consuli: non circum eo, more candidatorum; non premo, non sum ineptus, non peto blandius: deum, quem rationibus meis nossem, inde ab ineunte pueritia, quam optime semper consuluisse, rogo, vt, si sciret, operam meam Scholae Thomanae vtilem, fructuosamque, futuram esse, si videret, me, muneris illius honore auctum, plus bonis litteris, plus patriae, plus rei Christianae, profuturum studiis meis esse, rationem mei ab Senatu haberi iuberet. Ita vero, me quiescente, reique exitum, animo aequo et otioso, exspectante, sit, Auditores, vt, quem Consul, quem Consulares, iam vultu et sermonibus constituissent huius Scholae rectorem, eum vniuersus Senatus sententiis suis legeret, non commotus, non impeditus, leuitate criminationum, et clamorum, iniqua, quibus liuida et virulenta inuidorum quorundam, cupidorumque, hominum, qui mihi, non tam honorem et dignitatem, quam fructus et commoda, noui muneris, ieiuni humilesque inuiderent, lingua, atque vox, omnes nuper vicos vrbs, omnes stationes et *λέρχας*, omnes circulos, me clam; nostis enim turpissimam, maximeque detestabilem, obrectatorum nigri gregis peruersitatem; repletat: quales iudices si Socrati contigissent, Auditores, non coactus esset, mihi credite, homo humanissimus, priuatimque non minus, quam publice, vtilissimus, cicutam bibere, immo sic esset omnium sententiis absolutus, et ornatus, vt in Prytaneo publice aleretur. Hoc igitur modo, hac ratione, quum constitutus sum, auctoritate Senatus, rector moderatorque huius Scholae: quis est, quin singularem inde, et insignem, huius beneficii magnitudinem, et excellentiam, mecum mirabundus cognoscat?

Sed

Sed haec ipsa magnitudo declarari satis, ostentarique videtur virtutibus summis, absolutissimisque, eorum, qui, cum superiore saeculo, tum maxime hoc, Scholae huius, tanta cum laude, rectores praefuere. Quid enim maius hoc in genere, quid excellentius, quid perfectius, non dicam reperiri, verum cogitari, atque adeo fingi, potest Thomasiis, Gesneris, Ernestiis? Certe non credo, Romanum Roscium sua in arte, leui illa neque utili admodum, maiorem, excellentioremque, fuisse, quam Germanos illos nostros in studio hoc grauissimo, priuatimque et publice utilissimo. Et Ernestii quidem, atque Gesneri, merita, ut omnino in litteras bonas omnes, ita in hanc praecipue Scholam, diuina nepotes, etiam serissimi, obstupescerent praedicabunt, laudibusque in caelum summis extollent. Nolo enim ipse eorum magnitudinem, et amplitudinem, attingere, ne forte praeceps ab quoquam, et temerarius, iudicet, quum; neque angustiae mentis meae illam capere, et complecti, neque orationis tenuitas, et inopia, assequi, et augere, ullo modo posse videatur. Sed futurum tamen esse neminem spero, qui non sponte fateatur, cui eadem partes datae, cui eadem persona imposita, sit, iudicio et auctoritate sapientissimorum, religiosissimorumque, viro- rum, eum maximo affectum beneficio, eum maximo condecoratum ornamento, putari debere.

Et profecto multiplex atque varia ipsius muneris grauitas praecipuam eius dignitatem, amplitudinemque, satis loquitur, cunctisque commendat. Desiderat enim facultatem linguarum veterum, in primis Latinae et Graecae, non mediocrem, eandemque promptam et paratam: requirit scientiam historiae veteris, antiquitatisque omnis, etiam philosophiae, non leuem: et, quae multo maior est, atque rarior, virtus, facultate praeditos nos, instructosque, esse iubet, ordine omnia explicandi, perspicue omnia, et ita tradendi, ut ingenia discipulorum acuantur ad omnis elegantiae sensum, ut mentes eorum augeantur rerum optimarum scientia, ut animi emendantur ad omnis honestatis amo-

amorem. Disciplinae vero bonae ratio, qua ipsi nostis, Auditores, contineri summam, salutemque omnem, Scholarum, o quantam prudentiam postulat, quantam diligentiam, circumspectionem, vigilantiam! quantam fortitudinem, et severitatem, lenitate et humanitate temperatam! ut discipuli virtutis, doctrinaeque, venustatem ament, et sequantur, inscitiae, vitiorumque, deformitatem fugiant, et oderint, idque sponte atque ultro faciant! Hi, caeterique, numeri inuneris, hae partes, rectoris Scholastici sunt sane tales, ac tantae, ut nemo facile reperiri videatur, qui eas bene agere valeat, nisi diuino in primis auxilio, diuina ope, adiuuetur; nisi etiam Collegarum beniuolentia, amore, consiliis, opera, sustineatur; nisi discipulorum modestia verecunda, et pudore ingenuo, discendique cupiditate liberali, subleuetur. Sed hae ipsae partes si bene, et recte, si docte, et scienter, agantur, dici non potest, Auditores, quantum ea res rationes nostras, quantum iuventutis, non vnus, sed multarum aetatum, salutem, quantum omnium ciuitatis ordinum res, quantum vniuersae patriae, et religionis, summam, iuuet, firmet, augeat, amplificet. Ornat nos non modo viuos vehementer et praecipue, verum nec inortuos vnquam mori vlllo modo patitur. Itaque ego vel tantillum dubitem, quin summo sim incredibilique beneficio, Ordinis amplissimi auctoritate, affectus et auctus?

Ad te igitur nunc supplex conuerto orationem, precesque, benignissime deus, moderator rerum humanarum sapientissime. Scio enim expertus multis modis, sine te, sine tuo auxilio et numine, omnes hominum spes vanas, inanesque, esse, omnes eorum labores, omnes curas, fructu omni carere, omnem operam frustra collocari et consumi: sed, te fauente, te iuuante, omnia facillime ac felicissime, etiam quae maxime ardua videantur, superari. Complectere me, obsecro, amore, et pietate, semper: confirma mihi corpusculum hoc imbecille, morbique vi, et pertinacia, fractum, et confectum: redde mihi amissas, redditasque auge, mentis, animique, vires; ut ferre possim, et

(H)

susti-

sustinere, onus gravissimum muneris, a me, tuo consilio, tua auctoritate, suscepti. Tu rationibus meis hac in vrbe liberalissime prospexisti tres vigintique annos: tu urbem hanc, in quam ego pæne puër; nondum enim duodeviginti annos habebam; humanitatis sitiens ac cupidus ea mente properaram, ut, absoluto studiorum iuuenilium curriculo, locupletatus, ditatusque, copiis bonarum litterarum quam maximis, in Franciæ meae fines, in moenia Coburgi, parentis, altricisque, puerilium studiorum meorum liberalissimæ, pro cuius vrbis non minus, quam ciuitatis, incolumitate et salute precibus te, immortale numen, fatigare nunquam desistam, reuerterer; hanc igitur urbem tu sedem meam, meum domicilium, fieri, auctore Mascouio, clarissimo viro, iussisti: tu ornasti me, indignissimum tua liberalitate, adhuc, et auxisti, bonis commodisque innumerabilibus. Quo etiam certius spero, magisque confido, te adfuturum mihi porro esse tuo numine, tua ope; præsertim quum tu ipse curæ, fideique, meae credideris tantæ Scholæ res, tot adulescentum ingenuorum, publicæ spei, salutem, ut tua iam res, tua caussa, non mea, agi videatur. Iube, quaeso, iube Spiritum tuum iungere, et consulare, arctissimis et firmissimis amicitiae, concordiaeque, vinculis animos, ac voluntates, magistrorum, ut spectemus semper omnes, sequamurque, idem, ut nihil suscipiamus, nihil facere aggrediamur, quo existimatio, quo fama, Scholæ Thomanae laedatur, et minuat; ut ea semper, liberi et remoti ab omni studio, ab omni habendi amore, agamus, quibus salutis, rationibusque, discipulorum consulatur; ut principes ciuitatis, reliquique ciues, parentes et aui, concordiae, humanitatis, industriae, fidei, grauitatis, nostræ fiducia adducti, eo magis nepotes, filiosque, suos nobis in disciplinam tradant. Sed incende, obsecro, etiam in discipulorum animis, atque ale, cupiditatem bonarum litterarum, et virtutis studium, ut tibi pietatis constantiam, modestiæ laudem magistris, omnibus humanitatis grauitatem, probare nitantur, quo Schola Thomana ore omnium,

et

et sermonibus, cum domi, tum foris, celebretur officina, et domicilium, humanitatis non minus et litterarum, quam virtutis et honestatis. Sic enim, Collegae optimi; sic, carissimi Discipuli; cura nostra; sic civium huius urbis liberalitatem laceſſemus, et prouocabimus, magis magisque: sic parebimus auctoritati Senatus: sic gratias adeo referre amplissimo Ordini iudicabimur: ad cuius virtutis laudem eo magis conſtituti nos; et contendere, hac via, oportet, quum nullus facile illuc aditus patere nobis alius videatur. Sed mittemus, agite, mittemus etiam assidue, vno animo, vno ore, preces ad deum Optimum Maximum, vt Ordinem amplissimum vniuersum, vt singulos Senatores, eorumque gentes et familias, vt Curatores Scholae grauissimos, vt civitatem omnem, florere iubeat; vt defendat etiam ab hoc aedificio, ab his parietibus, omnem flammaram vim, omnia incommodorum, calamitatum, morborum, omnium agmina, et cateruas horribiles, ac truculentas. Nam saluo Senatu, salua ciuitate, saluis Curatoribus, salua hac domo, saluis his conclauibus, ipsius Scholae Thomanæ res, ipsorum magistrorum doctrina et disciplina, ipsorum discipulorum, et humanitas, et inopia liberalis, atque honesta paupertas, florebut.



INDEX PRIMVS
A V C T O R V M V E T E R V M
V T R I V S Q V E L I N G V A E
Q V I I N P R O L V S S. L A V D A N T V R
E M E N D A N T V R E X P L I C A N T V R

Numeri priores ipsas Prolusiones, posteriores segmenta earum, indicant.

A

Achilles Tati^{us} 1, 2.
Aelianus 4, 3.
Aeschylus 2, 5. 3, 4.
Aesopus 1, 3.
Ammonius 3, 4.
Ampelius 3, 4.
Anacreon 3, 6.
Antoninus Liberalis 2, 3.
Apollodorus 1, 3. 4. 2, 5. 6.
4, 3. 5.
Apollonius Rhodius 2, 6.
Apostolius 2, 6.
Apuleius 4, 4.
Aristophanes 2, 4. 3, 4. 7.
Aristoteles 3, 4. 8.
Athenaens 3, 4. 5.
Athenion Comicus 1, 2.
Auctor H. in Mercurium 4, 5.

C

Caesar Iul. 2, 3. 3, 4.
Callimachus 1, 4.
Cicero 2, 3. 5. 3, 4.
Curtius 1, 2. 2, 5.

D

Diodorus Siculus 1, 3. 3, 4.
Dionysius Periegeta 2, 6.
3, 4.

E

Etymolog. M. 2, 6. 3, 4. 4, 5.
Euripides 2, 3. 5. 3, 7. 4, 3.
Eustathius 1, 2. 4. 2, 3. 6.
3, 4. 4, 4. 6.

F

Festus 2, 6.
Florus 3, 4.

G

Gellius 2, 5.
Glossaria vetera 2, 3. 3, 4. 6.

H

Heliodorus 1, 3. 4, 5. 6.
Heraclitus 3, 8.
Herodotus 2, 3. 3, 7. 4, 3.
Hesiodus 2, 6. 4, 5.
Hesychius 2, 3. 4. 5. 6. 3, 4.
5. 6. 4, 3. 4. 5. 6.

Hirtius 2, 5.
Homerus 2, 3. 4. 6. 3, 4. 7.
4, 5. 6.

Horatius 3, 4.
Hyginus 1, 4. 4, 5.

I

Interpretes Alexandrini V. T.
2, 4. 3, 6.
Isocrates 3, 7. 8.
Iustinus Martyr 1, 3.

L Lexi-

INDEX PRIMVS.

L

Lexicon MS. Coiflin. 3, 4.
 Livius 3, 4.
 Longus 3, 5. 4, 3.
 Lucianus 2, 3. 3, 4. 4, 3. 4.
 Lycophron 2, 6.

M

Matthaeus 4, 5.
 Maximus Tyrius 1, 2. 4, 3.
 Mela 3, 4.

N

Nonnus 1, 4.

O

Oppianus 4, 5.

P

Palaephatus fab. 1, 1. 4, 9. 7,
 8., 1, 3.: fab. 6, 1., 1, 4.:
 fab. 23, 1. 31, 8., 2, 3.:
 fab. 23, 4., 2, 4.: fab. 1, 2.
 7, 2. 29, 3., 2, 6.: fab. 32,
 10., 3, 4.: fab. 40, 2., 3, 5.:
 fab. 47, 2., 3, 6.: fab. 7, 6.,
 3, 7.: fab. 21, 1., 3, 8.:
 prooem. 2., 3, 8.: fab. 31,
 8., 4, 1.: fab. 49, 3., 4, 1.:
 fab. 37., 4, 1.: fab. 13, 1. fab.
 16, 1. fab. 25, 4. fab. 3, 4.
 fab. 42, 2., 4, 3.: fab. 3, 7.
 fab. 29, 5. f. fab. 32, 5. 10.,
 4, 4.: fab. 52, 1. fab. 5, 4.
 fab. 32, 6. fab. 16, 2., 4, 5.:
 fab. 40, 4., 4, 6.

Pausanias 2, 3. 3, 4. 4, 3. 6.
 Phauorinus 2, 3. 4. 6. 3, 4.
 Philo Eranius 3, 4.
 Pindarus 1, 4.
 Plato 1, 3. 2, 3. 6. 3, 5. 7.
 4, 5.
 Plinius M. 3, 4.

Plutarchus 1, 3. 4. 3. 4. 5. 4, 3. 4.
 Pollux 2, 3. 6. 3, 4. 5. 4, 3.
 Polybius 3, 4.
 Procopius 3, 4.
 Pseudodidymus 2, 3. 3, 4. 4, 5.
 Pseudomusaeus 3, 4.

S

Scholiasfes Pindari 1, 4.
 — Aristophanis vetus 4, 4.:
 Doruillianus 2, 4.
 — Aeschylus 2, 4.
 — Euripidis 2, 4. 5.
 — Luciani 4, 4.
 — Pseudomusaei 2, 4.
 — Hesiodi 2, 6.
 — Apollonii Rhodii 3, 4.
 — Sophoclis 2, 4.
 Silius Italicus 3, 4.
 Stephanus Byzant. 4, 4.
 Strabo 3, 4. 4, 3. 5.
 Suetonius 3, 4.
 Suidas 2, 6. 3, 4. 4, 3. 4.

T

Tacitus 3, 5.
 Theodotus 2, 4.
 Theophrastus 2, 3.
 Thomas Mag. 4, 4.
 Thucydides 3, 4.
 Tzetzes, Ioh., 1, 2.
 Tzetzes, Isacius, 1, 4. 4, 4. 5.

V

Velleius Paterculus 2, 3.
 Virgilius 2, 5. 3, 6.

X

Xenophon 1, 3. 2, 3. 5. 3, 7.
 4, 3. 5.

Z

Zonaras 3, 7.
 Zosimus 3, 4. 3, 6.

INDEX SECVNDVS



INDEX SECVNDVS VERBORVM GRAECORVM ET LATINORVM

Q V A E

IN PROLVSS. VEL EXPLICANTVR
VEL A LIBRARIIS PERMVTA
NOTANTVR

A

Accusatiuus iungitur verbis
λέγειν, Φάναι, et simili-
bus, 4, 4.

*Αγων iungitur aliis verbis 3, 7.

*Αγων et έχων 3, 7.

Αἶολος et Στόλος 4, 1.

*Αν et ἄν 1, 3.

*Αναιρεῖσθαι 1, 3.

*Ανακτησάμενος et ἀγανακτη-
σάμενος 4, 4.

Aoristi secundi Actiui, et Me-
dii, personae tertiae inter
se permutatae 1, 3.

*Αποδείκνυσθαι et ἐπιδείκνυ-
σθαι 4, 3.

*Αποδιώκειν quid? 2, 4.

Γ

Γαδερῆς et Σάρδεις 3, 4. 4, 4.

Γαστήρ γρυπῇ et τιμῇ 4, 3.

Glossemata sunt indices vera-
rum lectionum 1, 3.

Coimnnae Herculis. 4, 5.

Γρυπὸν quid? 4, 3.

Γυρὸς 2, 4.

Δ

Δὲ pro γὰρ 3, 8.

Διανεύσθαι πέλαγος 4, 5.

Διανήξασθαι et διανύσαι 4, 5.

Διανύσαι πέλαγος 4, 5.

Διαφορεῖν, et διαφθεῖρειν, et
διαφθορεῖν, 2, 3.

Διαφορεῖν quid? 2, 3.

Δίρη et Λέρνη 1, 4.

Διῶκειν proprie quid? 2, 4.

Δυστυχῆσεις et δυστυχῇ 4, 4.

E

*Εγκαρπα δένδρα 4, 3.

*Εγκαρποι οἷς 4, 3.

*Εγκαρπος et εὐκαρπος 4, 3.

Εἴτις pro ὅςτις, et εἴτι pro ὅ-
τι, 1, 3.

*Εκδιώκειν et ἐξελαύνειν 2, 4.

*Εκδιώκειν quid? 2, 4.

*Εμπαις 4, 3.

*Εν καρποῖς 4, 3.

*Εν et εὖ 4, 3.

*Ευδρος et εὐδρος 4, 3.

*Εξανύσαι θάλασσαν 4, 5.

*Εξοδιάζειν 2, 4.

*Επαθλον. 2, 4.

*Επὶ, et κατὰ, et ἐν, 4, 5. 6.

*Επὶ cum Accusatiuo 4, 6.

*Επὶ τῷ μέλιτι 4, 5.

*Επιδείκνυσθαι et ἀποδείκνυ-
σθαι 4, 3.

*Επιδείκνυσθαι quid? 4, 3.

Εὐδρεῖν 4, 3.

*Εχων

INDEX SECVNDVS

Ἐχων iungitur aliis verbis 3, 7.

Ἐχων et ἄγων 3, 7.

Ἐωρίζεσθαι quid? 4, 5.

Ἐωρίζεσθαι et μεταωρίζεσθαι 4, 5.

I

Interitio et internicio 2, 5.

Iuueniliter 3, 5.

K

Κατὰ cum Accusativo 4, 6.

Κατακαίνειν 2, 5.

Κατὰ et ἐπὶ 4, 6.

Κερναῖος et Κυρηναῖος 4, 4.

Κέρνη et Κυρήνη 3, 4, 4, 4.

Λ

Λέρνη et Δίρη 1, 4.

M

Μακρὸς et μικρὸς 4, 3.

Magnus et vastus 2, 5.

Μέλη cura 3, 6.

Μέλημα 3, 6.

Μεταωρίζεσθαι et ἐωρίζεσθαι 4, 5.

Μορφή et τροφή 2, 6.

N

Ναυλοχεῖν quid? 3, 4.

Ναύλοχος et ναυλόχιον quid? 3, 4.

Νεανικὸς et νεανικῶς quid? 3, 5.

O

Οἰκεία et οἰκία 1, 3.

Ὄνομα et ὀνόματα 3, 8.

Ὀπλον lorica 2, 4.

Optatiuus, et Infinitiuus, inter se permutati 1, 3.

Ὅσφύϊ et ὁσφύν 4, 3.

Ὅτι particulam sequuntur Infinitiuui 1, 3.

Οὐδὲν et ἔδενος 4, 3.

Οὐρήσας quid? 4, 5.

Π

Peragro et pererro 2, 5.

Picati 2, 6.

Πορθεῖς quid? 3, 4.

Πράγματα et χρήματα 2, 3.

Πρόβασις et πρόσβασις 4, 4.

Προσβάσεις quid? 4, 4.

P

Repurgo et sario 2, 5.

Σ

Σάρδεις et Γαδειρεῖς 3, 4, 4, 4.

Σιμὸν quid? 4, 3.

Στόλος et Αἶολος 4, 1.

Συχνάκις 2, 4.

T

Τὰ παρά τινος quid? 3, 6.

Τελεῖν τὰς πόλεις quid? 4, 5.

Τὴν et τῆ 4, 3.

Τροφή et μορφή 2, 6.

Φ

Φ et σφ 2, 6.

Φθία et Φρυγία 4, 1.

Φίλιον et Φίλειον ὄρος 2, 6.

Φίλειον τέρας 2, 6.

Φίξ 2, 6.

Φορβή quid? 2, 6.

Φορβάδες γυναῖκες 2, 6.

Fretum 3, 4.

Φύσις 3, 8.

X

Χρέος quid? 4, 6.

Χρέω 4, 6.

Χρήμα facit loquendi circuitum 2, 3.

Χρήματα quid? 2, 3.

Χρηματίζειν 2, 3.

Ω

Ὡς particulam sequuntur Infinitiuui 1, 3.

Ὡς et ὥσπερ postponuntur non raro nominibus 4, 5.

ADDENDA

A D D E N D A

Prolegg. p. XVI. not. 11. leg. *inueniatur*. P. XXVI. not. * *post* Verh. *adde*: Sed video tamen, verba Muncqueri potius ad Hygini librum mythicum referenda esse, quem editum ab eo esse nouimus, denuoque illustratum, annis non multis post Antonini Liberalis metamorphoseon *Συναγωγὴν*. P. LXXIII. v. 6. leg. *Potrida*.

In Ind. Graec. *post* "Ὀλως *insere*: "Ὅμηρος *Homerus*: poetarum omnium nobilissimus, et antiquissimus [Gellius 17, 21.], 53, 6.

